Quaestiones de Cornifici et Ciceronis artibus rhetoricis

Georgius Thiele


THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
·LIBRARIES·
THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
ARTES·SCIENTIA·VERITAS
1817


THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
·LIBRARIES·
THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
ARTES·SCIENTIA·VERITAS
1817

QUAESTIONES
DE CORNIFICI ET CICERONIS
ARTIBUS RHETORICIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXVIII MENSIS SEPTEMBRIS HORA XII
UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

GEORGIUS THIELE
POMERANUS.

ADVERSARII ERUNT:

HERMANN DIBBELT, SEM. REG. PHILOL. SENIOR
GUSTAV KIRCHNER, SEM. REG. PHILOL. BIBLIOTHECARIUS
RUDOLF MUELLER, SEM. REG. PHILOL. SOD. ORD.

GRYPHISWALDIAE MDCCCLXXXIX.

ADOLFO KIESSLINGIO

S.

Cornifici rhetoricorum ad Herennium libros et Ciceronis de inventione libros qui vocantur cum satis accurate nemo adhuc[1]) pertractasset eo consilio, ut, qua ratione hae duae artes inter se coniunctae essent, demonstraretur, saepenumero Adolfus Kiesslingius, cui plura quam hanc commentationem debeo, monuit, ut diligentissima de hac re institueretur quaestio, cum sibi Cornificius et Cicero unius latini auctoris scholis usi esse viderentur[2]); cuius voluntati obsecutus postquam illis libris operam dedi, nunc has tres quaestiunculas in medium proferre audeo, quarum prima id evincere studui, quod doctor meus voluit, neque Ciceronem Cornifici opus neque hunc illum in arte sua conscribenda ante oculos habuisse, sed causam consensus ad communem quendam auctorem referendam esse, qui

1) Nam et Schuetzius (praefatio ad Ciceronis operum rhetor. editionem p. IX seqq.) et Bader (de Ciceronis rhetoricorum libris, diss. inaug. Gryphiswaldiae 1869) parum accurata comparatione contenti fuerunt et falsum iudicium protulerunt. Quod idem fecit nulla omnino quaestione instituta Kröhnertus (de rhetoricis ad Herennium, diss. inaug. Regimontii 1873 p. 37); neque ea rem conficiunt, quae protulit Kayser (praef. p. XI seqq.), Weidner autem (in praefatione editionis artis rhetoricae Ciceronis p. XV) nimis lubricam dixit viam de consensus ratione per singula quaerendi.

2) Quod primus suspicatus est Handtius (encyclopaedia Erschi et Gruberi vol. XVII s. v. Cicero p. 208), negavit Kayser p. XII. Weidner l. l. exemplorum quidem consensum ad latinorum grammaticorum scholas rhetoricas refert.

Romae latine artem rhetoricam docuerit. Quod ut probarem, exordii et narrationis praecepta, in quibus maximus eorum consensus conspicitur, verbum cum verbo conferendo perpetuo illustravi commentario, unde simul utriusque scriptoris indoles et ratio praecipiendi cognosceretur. Quo fundamento iacto altero deinceps capite, quid ex confirmationis praeceptis illi auctori tribuendum esset, quid aliis fontibus, quid ipsorum Cornifici et Ciceronis ingeniis, explicavi. In tertio capite omnia praecepta inventionis comprehendens de utriusque artis compositione dixi.

Atque prima quaestio et comparativa et exegetica, altera non solum comparativa, sed etiam analytica, tertia non solum analytica, sed etiam historica fiet.

CAPUT PRIMUM.

(Cornifici et Ciceronis praecepta de exordio et de narratione comparantur. Cornif. I, 3, 4 — I, 9, 16. Cic. I, 15, 20 — I, 21, 29 [3]).)

Exordium Cornificius I, 3, 4, sic definit: *exordium est principium orationis, per quod animus auditoris constituitur ad audiendum.* Cum his comparanda est Ciceronis definitio, quam coniunctam cum ceteris tradit I, 15, 20: *exordium est oratio animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem.* Crederet quispiam propter consensum in verbis *animum auditoris* et *constituere* — *comparare* ad eundem fontem redire has definitiones aut Ciceronem Cornifici verba brevius reddere voluisse; sed cautius iudicanti utraque definitio per se examinanda est, et re vera Cornificius duas praebet, Cicero unam. Transtulit enim definitionem, quae exstat in excerptis Rufi (Spengel, rhetores graeci vol. I p. 214) *προοίμιόν ἐστι λόγος παρασκευάζων τὸν ἀκροατὴν εἰς τὴν προκειμένην ὑπόθεσιν ἐπιτήδειον.* Iam apparet consensum illum inter *comparare* et *constituere* ad graecum vocabulum *παρασκευάζειν* referendum esse, *animus auditoris* pro simpliciore *auditor* explicari e latini sermonis proprietate vix monendum est, *idonee* idem quod graece *ἐπιτήδειον* est et quamquam grammatice aliud est, tamen re

3) Editionibus usus sum Ciceronis Weidneriana, Cornifici Kayseri maiore 1854 edita.

ipsa idem valet et certe inde translatum est, λόγος redditum est verbo *oratio, reliquam dictionem* e προκειμένην ὑπόθεσιν paullo liberiore ratione ortum est. Nunc Cornifici definitionem examinemus; non *orationem* (λόγον) ut Cicero vocat exordium, sed *principium orationis* (principium hoc loco non, ut postea § 6, sollemni sensu usurpatur), quae est notissima Aristotelis in rhetoricorum libro tertio p. 1414 b 19 προοίμιόν ἐστιν ἀρχὴ λόγου. Apud Ciceronem autem et in altera Cornificianae definitionis parte habemus simillimam illi, quam Anaximenes qui vocatur tradit (ed. Spengel p. 54, p. 1436 a 33 Bekk.) ἔστι δὲ προοίμιον καθόλου μὲν εἰπεῖν ἀκροατῶν παρασκευή, quae est Aristotelis doctrinae plane adversaria, qui (lib. III p. 1415 a et b) in talia praecepta pluribus increpat. Haec igitur (Isocrateorum, ut opinor) definitio in altera Cornificianae definitionis parte inest *per quod animus auditoris constituitur ad audiendum.* Ergo apud Cornificium duae illae contrariae opiniones a posteriore quodam rhetore falso in unam conflatae exstant. Itaque, cum apud Ciceronem simplex doctrina inveniatur, verisimilius est hoc loco diversis utrumque fontibus usum esse, quod confirmatur etiam ceterarum partium orationis definitionum discrepantia [4]).

Nunc ad ipsa de exordio praecepta accedamus.

Cornificius lib. I, 3, 5: *Causa posita, quo commodius exordiri possimus, genus causae considerandum est. Genera causarum sunt quattuor: honestum, turpe, dubium, humile.*	Cicero lib. I, 15, 20: *Exordium est ..... reliquam dictionem. (Quod eveniet, si eum benevolum attentum docilem confecerit.) Quare qui bene exordiri causam volet, eum necesse est genus suae causae diligenter ante cognoscere.*

4) Ut confirmationis Cornif. I, 3, 4: *confirmatio est nostrorum argumentorum expositio cum adseveratione.* Cic. I, 24, 34: *confirmatio est, per quam argumentando nostrae causae fidem et auctoritatem et firmamentum adiungit oratio.*

	Genera causarum quinque sunt: honestum admirabile humile anceps obscurum.
I. Honestum causae genus putatur, cum aut id defendimus, quod ab omnibus defendendum videtur, aut id oppugnamus, quod ab omnibus videtur oppugnari debere, ut pro viro forti, contra parricidam.	*I. Honestum causae genus est, cui statim sine oratione nostra favet auditoris a n i m u s.*
II. Turpe genus intelligitur, cum aut honesta res oppugnatur aut defenditur turpis.	*II. Admirabile, a quo est alienatus a n i m u s eorum, qui audiunt.*
III. Dubium genus est, cum habet in se causa et honestatis et turpitudinis partem.	*IV. Anceps, in quo aut iudicatio dubia est aut causa et honestatis et turpitudinis particeps, ut et benevolentiam pariat et offensionem.*
IV. Humile genus est, cum contempta res adfertur.	*III. Humile, quod neglegitur ab auditore et non magnopere attendendum videtur.*
	V. Obscurum, in quo aut tardi auditores sunt aut difficilioribus ad cognoscendum negotiis causa est implicata.

Atque in his quidem neque alterum ab altero neque ambo ab uno communi auctore pendere perspicuum est. Cornificius enim quattuor, Cicero quinque genera habet; ille honestum turpe dubium humile, hic honestum admirabile humile anceps obscurum. Atque admirabile quidem non aliud est quam turpe, quod cum ex similitudine eorum,

quae apud Cornificium de turpi, apud Ciceronem de admirabili dicuntur, tum ex graecorum nominum comparatione apparet. Quae sunt secundum Quintilianum IV, 1, 40 et Aurelium Augustinum p. 147 (Halm, rhet. lat. min.) alios: ἔνδοξον παράδοξον ἀμφίδοξον ἄδοξον (honestum turpe dubium humile).

Oppositio inter ἔνδοξον et παράδοξον plana est, i. e. quod est ἐν τῇ δόξῃ et παρὰ τὴν δόξαν, scil. τῶν ἀκροατῶν. Iam vides Ciceronis errorem; habuit ante oculos graecum vocabulum παράδοξον et vertit in *admirabile*, cum in vulgari, non sollemni sermone significaret παράδοξον novum inauditum mirum aliquid. Sed honestum et admirabile opponi inter se non posse quivis videre debet et ridicula est definitio, quae additur: *admirabile, a quo est alienatus animus eorum, qui audituri sunt.* Quae falsa translatio non solum posterioribus compilatoribus, sed ne Quintiliano quidem IV, 1, 40 displicuit, qui et ipse saepe subtilitates doctrinae eius, quam tradit, non intellexerit. — At potuit Cicero vocabulum παράδοξον, quoniam ex ipso Cornificio non didicit, ex fonte Cornifici repetivisse, ubi graeca vocabula exstarent. Quod refutatur ceteris discrepantiis; primum, quod Cicero quintum genus: *obscurum* habet, graece δυσπαρακολούθητον (Quintil. IV, 1, 40), quattuor autem generum ordo neque a Cornificio primo inventus est neque ab auctore eius, sed ab Hermagora, quod apparet ex Aurelii Augustini praeceptis ab Hermagorea doctrina profectis (p. 148, 30 Halm, rhet. lat. min.). Atque ex rei natura elucet haec quattuor genera certo quodam et communi vinculo cohaerere et solidum efficere σύστημα, cum omnia composita sint e praepositione et voce δόξα; nonne luce clarius, huc δυσπαρακολούθητον a posteriore quodam doctore additum esse, quem Cicero sequatur, cum Cornificius priorem et simpliciorem doctrinam praebeat? — Porro definitiones singulorum generum apud Ciceronem prorsus alia ratione, non aliis verbis tantum compositae sunt, ita, ut apud Ciceronem vis sit po-

sita in animo auditoris qualis sit, apud Cornificium in re ipsa. Prior ratio explicandi mihi magis placet et re vera vetustior videtur esse, quod ex ipsa vocabulorum in -δοξον formatorum vi ducitur. — Ergo habemus apud Cornificium puram Hermagorae doctrinam, apud Ciceronem mutatam et auctam, si numerum generum spectamus; in definitionibus contra Ciceronem priorem rationem tradere putamus. — Tum uterque ad ipsum exordium transitum facit consimili ratione, Cornificius: *cum haec ita sint, conveniet exordiorum rationem ad causae genus adcommodari. Exordiorum duo sunt genera: principium, quod graece προοίμιον appellatur, et insinuatio, quae ἔφοδος nominatur;* Cicero: *quare cum tam diversa sint genera causarum, exordiri quoque dispari ratione in unoquoque genere necesse est. Igitur exordium in duas partes dividitur, principium et insinuationem.*

Extrema potuit Cicero ex Cornificio sumere, Cornificium vero sua non e Ciceronis libro sumpisse certe probatur graecis, quae apud ipsum adduntur, vocabulis. Pergit Cornificius: *principium est, cum statim animum auditoris nobis idoneum reddimus ad audiendum. Id ita sumitur, ut attentos, ut dociles, ut benevolos auditores habere possimus;* Cicero: *principium est oratio perspicue et protinus perficiens auditorem benevolum aut docilem aut attentum.* Cicero Cornificium his in verbis non adhibuit, nam pro *statim* dicit, quod plus est, *perspicue et protinus,* Cornificium autem potuisse haec ex Cicerone ducere negari non potest. Sed brevi ante deteximus contrariam rationem, itaque re vera neutrum factum est, sed aut communis auctor, aut omnino diversi fontes erunt statuendi. —

Cornif.: *Si genus causae dubium habebimus, a benevolentia principium constituemus, ne quid illa turpitudinis pars nobis obesse possit.*

Cic.: *Anceps genus causae, si dubiam iudicationem habebit, ab ipsa iudicatione exordiendum est. Sin autem partem turpitudinis, partem honestatis habebit, bene-*

volentiam captare oportebit, ut in genus honestum causa translata videatur.

Cicero Cornificium non exscripsit, cum *iudicationem* ille non habeat, neque Cornificius Ciceronem exscripsit, quod non ex verbis *ut in genus honestum causa translata videatur* haec sententia evadere poterat: *ne quid illa turpitudinis pars nobis obesse possit.* Ergo idem quod supra statuendum est. — Tum in insequentibus Cornif.: *sin humile genus erit causae, faciemus attentos.* Cic.: *in humili autem genere causae contemptionis tollendae causa necesse est attentum efficere auditorem* Cicero certe Cornificio non uti potuit. —

Cornif.: *Sin turpe causae genus erit, insinuatione utendum est, de qua posterius dicemus, nisi quid nacti erimus, qua re adversarios criminando benevolentiam capere possimus.*

Cic.: *In admirabili genere causae, si non omnino infesti auditores erunt, principio benevolentiam comparare licebit. Sin erunt vehementer abalienati, confugere necesse erit ad insinuationem. Nam ab iratis si perspicue pax et benevolentia petitur, non modo ea non invenitur, sed augetur atque inflammatur odium.*

Sententiae tantum, non verba congruunt. Cornificius autem tam brevis et obscurus est, ut Cicero sua non ex illo sumere potuerit. Fac extrema verba: *num ab iratis* etc. . . . ipse addiderit, tamen *si non omnino infesti auditores erunt* et *sin erunt vehementer abalienati* non ipse in ceteris Cornificium solum secutus addere potuit. Contra Cornificius, si Ciceronem solum secutus esset, non ex suo ingenio addere potuit *adversarios criminando*, novum enim infertur. Quare aut communem auctorem copiosiorem adhibuerunt aut, praesertim cum verba non consentiant, diversis fontibus usi sunt, quod vel inde verisimilius fit, quod iam supra propter totius doctrinae diversam rationem alium fontem fingere coacti sumus. —

Cornif.: *Si honestum causae genus sit, licebit recte vel uti vel non uti principio. Si uti volemus, aut id oportebit ostendere, qua re causa sit honesta, aut breviter quibus de rebus dicturi simus, exponere. Sin principio nolemus uti, a lege aut a firmissimo nostrae causae adiumento principium capere oportebit.*

Cic.: *Cum autem erit honestum causae genus, vel praeteriri principium poterit et si commodum fuerit, aut a narratione incipiemus aut a lege aut ab aliqua firmissima ratione nostrae dictionis; sin uti principio placebit, benevolentiae partibus utendum est, ut id, quod est, augeatur.*

Uterque plura quam alter habet, Cornificius *aut breviter, quibus de rebus dicturi simus, exponere;* Cicero *aut a narratione incipiemus.* Itaque alter ab altero non pendet. Sed nusquam verba ita consentiunt, ut communem fontem eos habuisse concludendum sit.

Quamquam Cornifici illud: *oportebit ostendere, qua re causa sit honesta* non ita multum distat a Ciceronis verbis: *benevolentiae partibus utendum est, ut id, quod est, augeatur.* Nam ex partibus benevolentiae, quas adhiberi Cicero iubet, Cornificius unam tantum significat illis verbis, dico eam, quae sumitur ab rebus ipsis (cf. infra Cornif. I, 5, 8: *ab rebus ipsis benevolum efficiemus auditorem, si nostram causam laudando tollemus, adversariorum per contemptionem deprimemus.* Hoc enim est ostendere, *qua re causa sit honesta*, et idem est *id, quod est, augere*). Cicero igitur in universum *benevolentiae partes* dixit, Cornificius accuratius rem ipsam pronuntiat. Alia differentia verborum, non rerum est in his Cornif.: *aut ab aliquo firmissimo nostrae causae adiumento principium capere oportebit,* Cic.: *aut ab aliqua firmissima ratione nostrae dictionis.* Cicero iterum magis in universum locutus est, ut solet, nam pro *adiumento*, quod vim et naturam rei accuratius exprimit, dixit *ratio*, quod rem non tam de-

scribit quam circumscribit. *Dictio* et *causa* utrumque ad Graecum λόγος referendum.

Hic paulo subsistamus. In toto hoc capite de generibus causarum fere semper diiudicare poteramus, neque Cornificium a Cicerone neque hunc ab illo adhibitum esse. Nam in prima parte de numero et definitionibus generum (Cornif. I, 3, 5; Cic. I, 15, 20) statuimus diversos eos auctores secutos esse. In insequentibus deinde, quae modo absolvimus, praeter vocabula sollemnia quaedam ut *honestum attentum* etc. verba non consentire vidimus, res plerumque easdem tractari. Cum autem in iis, quae iam insequuntur, verba ipsa multo accuratius congruant, ut videbimus, etiam haec extrema de generum accommodatione dirimenda esse ab insequentibus et ad eandem, quo cetera, differentiam fontium referenda esse veri simillimum duco, ita tamen, ut in nonnullis communi auctore usi esse videantur [5]).

Nunc pergamus.

Cornif.: *Quoniam igitur docilem benevolum attentum auditorem volumus habere, quomodo quidque confici possit aperiemus* (*igitur* referendum est ad ea, quae supra proposuit: *principium est* etc. . . . . *id ita sumitur* . . . etc.).

Cicero fere eundem transitum habet: *nunc, quoniam, quas res exordio conficere oporteat, dictum est, reliquum est, ut ostendatur, quibus quaeque rationibus res confici possit.* Sed iterum in universum loquitur *quas res exordio conficere oporteat,* Cornificius repetit *docilem benevolum attentum.* Ceterum ad verbum consentiunt: *quoniam* et *conficere,* ita ut per se quidem haec alter ab altero sumere potuerit [6]).

---

5) Quod firmatur etiam ea re, quod vocabulum *abalienatus,* quo Cicero utitur in admirabili genere causae, redit quodammodo apud Cornificium in praeceptis de insinuatione I, 6, 9: *alienat ipsa res animum auditoris,* ubi turpe causae genus significatur.

6) Hoc loco haud abs re erit fortasse ad aliam atque gravissimam quidem discrepantiam animum advertere, Cornificius enim tres illas res:

Iam singula uniuscuiusque rei praecepta sequuntur.

Cornif.: *Dociles auditores habere poterimus, si summam causae breviter exponemus et si attentos eos faciemus; nam docilis est is, qui attente vult audire.*

Cic. I, 16, 23: *Dociles auditores faciemus, si aperte et breviter summam causae exponemus, hoc est, in quo consistat controversia;* [*nam quem*] *docilem velis facere,*

---

attentum docilem benevolum facere auditorem, tantum ad principium refert, non ad omne exordium, itaque non ad insinuationem; nam postquam supra I, 4, 6 exordium in duas partes distribuit, principium et insinuationem, dicit: *principium est, cum statim animum auditoris nobis idoneum reddimus ad audiendum. Id ita sumitur, ut attentos, ut dociles, ut benevolos auditores habere possimus*, ubi sine dubio posterius enuntiatum: *id ita sumitur* etc. ad totum antecedens spectat (non solum ad vocabulum *idoneum*, quod opinari quispiam possit). Nam docilis et attentus animus principio fieri debet, non insinuatione, quae est dolosa animi captatio, in qua etiam inutile sit attentum fieri iudicem aut docilem, cum decipi debeat. Ergo absurdum est *animum attentum et docilem facere* etiam ad insinuationem referre, quod fecit Cicero I, 15, 20: *exordium est oratio animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem; quod eveniet, si eum benevolum attentum docilem confecerit. Quare qui bene exordiri causam volet, eum necesse est genus suae causae diligenter ante cognoscere.* — Verba *quod eveniet* ...... *confecerit*, diu interpolata esse putabam, praesertim cum acrius spectanti interrumpere orationem videantur, quae tendit ad genera causae, neque statim planum est, quomodo illud benevolum docilem attentum facere cum genere causae coniunctum sit; at postquam vidi falsam illam Ciceronis opinionem etiam subesse verbis I, 16, 21: *nunc quoniam, quas res exordio conficere oporteat, dictum est, reliquum est, ut ostendatur* etc. non delenda esse illa intellexi, sed confusionem Ciceronis agnoscendam, quae etiam perspicua fit ex verbis I, 18, 25: *ac separatim quidem, quae de principio et de insinuatione dicenda videbantur, haec sunt*, quibus aperte dirimuntur praecepta de insinuatione ab illis de benevolo attento docili faciendo auditore.

Quare vel ob hanc obscuritatem non verisimile est, Cornificium eum in hoc capite ante oculos habuisse; is enim ipse recte principio tantum illa praecepta tribuit, quamquam in fine et ipse lapsus est I, 7, 11: *inter insinuationem et principium hoc interest: principium huiusmodi debet esse, ut statim aperte rationibus, quibus perscripsimus, aut*

simul attentum facias oportet. Nam is est maxime docilis, qui attentissime paratus est audire.

Quae uncis inclusi *nam quem*, ita a Weidnero scribuntur, tradita autem scriptura est in plerisque et optimis libris *nam et cum.* Luce clarius est duas varias scripturas in his esse, *nam cum* — *et cum*, e quibus meliorem sensum sine dubio *et cum* praebet, et cogitari potest *nam* scribae cuiusdam neglegentia ab insequenti enuntiato huc aberrasse, quod si retineremus, illud primum enuntiatum *dociles auditores fasciemus* etc. et ipsum ad attentionem pertineret et de docilitate omnino nihil dictum esset. — A Cornificio Cicero sua non repetivit, cum plura praebeat (*aperte* et *in quo consistat controversia*), contra Cornificium ex Cicerone nihil sumpsisse demonstrari nequit; ita autem consentiunt, ut aut Cornificius Ciceronem secutus sit aut ambo communem latinum auctorem. An casu factum putaveris, ut apud utrumque eaedem translationes Graecorum vocabulorum εὔνους εὐμαθής προςεκτικός (cf. Aristot. rhetor. III p. 1415 a 33 sqq. Anaximenes ed. Spengel p. 54 c. 29, p. 1436 a 34 Bekk.) redeant? At in *partitionibus oratoriis* Cicero aliter vertit, 28: *ut amice, intelligenter, attente audiamur.* —

Cornif.: *Attentos habebimus, si pollicebimur, nos de rebus magnis novis inusitatis verba*	Anaximenes rhet. c. 29 p. 54 ed. Spengel, p. 1436 b, 5 Bekk.: προςέχειν δὲ παρακαλεῖν

benevolum aut attentum aut docilem faciamus auditorem, at insinuatio eiusmodi debet esse, ut occulte per dissimulationem eadem illa omnia conficiamus. Quod quodammodo veri speciem praebet, nam cogitari potest etiam insinuatione attentum et benevolum fieri auditorem, si praecepta, quae sequuntur de insinuatione, spectamus, sed vis insinuationis in eo posita est, quod animi auditorum a causa abalienati reconciliantur.

Ceterum sine dubio insinuatio eiusque tria tempora ad similitudinem trium principii rationum inventa sunt, postea enim inventam esse scimus, cum apud Aristotelem et Anaximenem nihil tale inveniamus; unde facilius factum est, ut confunderetur utrumque, sed de hac re longum est amplius disputare.

facturos aut de iis rebus, quae ad rem publicam pertineant aut ad eos ipsos, qui audient, aut ad deorum immortalium religionem; et si rogabimus, ut attente audiant, et si numero exponemus res, quibus de rebus dicturi simus.

Cicero: *Attentos autem faciemus, si demonstrabimus ea, quae dicturi erimus, magna, nova, incredibilia esse, aut ad omnes aut ad eos qui audient aut ad aliquos illustres homines aut ad deos immortales aut ad summam rem publicam pertinere; et si pollicebimur, nos brevi nostram causam demonstraturos atque exponemus iudicationem aut iudicationes, si plures erunt.*

ἐκ τούτων ἂν εἰδείημεν, εἰ κατανοήσαιμεν αὐτοὶ ποίοις μάλιστα καὶ λόγοις καὶ πράγμασι βουλευόμενοι προςέχομεν. ἆρ' οὖν οὐ τούτοις, ὅταν ἢ ὑπὲρ μεγάλων ἢ φοβερῶν ἢ τῶν ἡμῖν οἰκείων βουλευώμεθα; ἢ φάσκωσιν οἱ λέγοντες ὡς δίκαια καὶ συμφέροντα καὶ ῥάδια καὶ ἀληθῆ ἐπιδείξουσιν ἡμῖν, ἐφ' ἃ πράττειν παρακαλοῦσιν; ἢ δεηθῶσιν ἡμῶν ἀκοῦσαι αὐτῶν προςέχοντας τὸν νοῦν; quibuscum coniungenda sunt ea, quae de attentione in encomiis dicit c. 35 p. 68 Sp.: *ἐπὶ τὸ προςέχειν δὲ παρακαλοῦμεν ἔκ τε τῶν ἄλλων τῶν ἐν ταῖς δημηγορίαις εἰρημένων καὶ ἐκ τοῦ θαυμαστὰ καὶ περιφανῆ φάσκειν καὶ αὐτὸν ἴσα καὶ τοὺς ἐγκωμιαζομένους καὶ τοὺς ψεγομένους ἀποφαίνειν πεπραγότας.*

Cornificius enumerationem a Cicerone propositam in brevius contraxit, nam si sua sponte in eam incidisset, certe ut homo Romanus *quae ad rem publicam pertineant* et *aut ad deorum immortalium religionem* coniunxisset; sed illum ipsum non eius fontem fuisse sequitur ex enuntiato *et si rogabimus, ut attente audiant,* quod deest apud Ciceronem; neque haec a Cornificio ipso addita esse elucet ex Anaximenis loco quem apposuimus *ἢ δεηθῶσιν ἡμῶν ἀκοῦσαι αὐτῶν προςέχειν τὸν νοῦν,* sunt enim haec vetustissima artis rhetoricae praecepta iam ante Aristotelem inventa (cf. Aristot. rhetor. III p. 1415 a 33).

Neque Cicero ex Cornificio hausit, nam multo plura habet: *et si pollicebimur nos brevi nostram causam demonstraturos atque exponemus iudicationem* etc. Quamquam haec extrema de iudicatione non prorsus desunt apud Cornificium, nam verba *et si numero exponemus res quibus de rebus dicturi simus* sine dubio inde orta sunt, quod quid iudicatio esset non intellexit (cf. Cic. I, 13, 18). Suo iure autem rhetores iudicationem hoc loco commemoraverunt; si enim qua in re iudicibus versandum sit, quamvis iam nota iis sit, tamen disertis verbis exponimus, sane attenti fiunt [7]). Quod fieri posse etiam *enumeratione earum rerum de quibus dicturi simus* per se non negari potest, sed enumeratio proprium locum habet in partitione (vel divisione), tertia orationis parte (cf. Cornif. I, 10, 17). Quod praeceptum erat (in communi fonte), si plures iudicationes essent, plures exponendas esse, Cornificius in numero vim positam esse putabat itaque enumerationem commendavit. A iudicatione etiam supra eum abstinuisse vidimus (cf. Ciceronem I, 15, 21 de dubio genere causae).

Communis igitur fons hic statuendus esse videtur, qui num latinus fuerit, quamquam propter *deos immortales* aliaque veri simillimum est, tamen hoc loco nondum affirmare audeo. — Certe auctor ille copiosior fuit quam uterque, ut ex iis, quae plura quam alter uterque praebet, apparet.

Cornif.: *Benevolos auditores facere quattuor modis possumus, ab nostra, ab adversariorum nostrorum, ab auditorum persona, ab rebus ipsis.* Cic. I, 16, 22: *Benevolentia quattuor ex locis comparatur, ab nostra, ab adversariorum ab iudicum persona, a causa.*

Cicero ipse *ab auditorum persona, ab rebus ipsis* in *ab iudicum persona, a causa* mutasse videtur, cum ad genus iudiciale solum haec pertinere putaret, nam ab Ari-

---

7) Illata est huc iudicatio (κρινόμενον) post Hermagoram, cf. Aurel. Aug. p. 144—45. Halm, rhet. lat. min. Quintil. III, 1, 11 sequ.

stotele quidem (rhet. III p. 1414 b 19) ita, ut apud Cornificium exstant, traduntur. Quod inde veri similius fit, quod sibi non constat, infra enim, ubi singula exponit, *ab rebus* dicit (p. 22, 1 editionis Weidnerianae).

Cornif.	Cic.
1. Ab nostra. Cornif.: *Ab nostra persona benevolentiam contrahemus, si nostrum officium sine adrogantia laudabimus, atque in rem publicam quales fuerimus aut in parentes aut in amicos aut in eos ipsos qui audient aliquid referemus, dum haec omnia ad eam rem ipsam, qua de re agitur, sint accommodata.*	Cic.: *A persona nostra, si de nostris officiis sine adrogantia dicemus, si crimina inlata et aliquas minus honestas suspiciones iniectas diluemus*
Item si nostra incommoda proferemus, inopiam, solitudinem, calamitatem, et si orabimus, ut nobis sint auxilio, et simul ostendemus nos in aliis noluisse spem habere.	*Si quae incommoda acciderint aut quae instent difficultates proferemus. si prece et obsecratione humili ac supplici utemur.*

Haec extrema *de prece et obsecratione* Ciceronem ipsum sua sponte transformasse ex iis, quae singillatim apud Cornificium exstant: *et si orabimus* etc. iudico, praesertim cum iam aliis locis morem Ciceronis in universum loquendi et singula comprehendendi cognoverim. Cornificius non ex Cicerone, cum plura quam ille habeat, hic non ex illo sua repetivit, cum insuper addat *si crimina inlata et aliquas minus honestas suspiciones iniectas diluemus.* Quod non ipsum eum addidisse iterum aliunde comprobari potest, nam in *partitionibus oratoriis* eadem inveniuntur 28: *et si in nos aliquod odium offensione collata sit, tollenda ea minuendave aut diluendo aut extenuando aut compensando aut deprecando*, ubi casu quodam in idem diluendi vocabulum incidit, nam ex suo ipsius libro, quem quadraginta

fere annis antea scripserat, haec eum transtulisse mihi persuadere non possum[8]). Ergo hic etiam communi fonte usi sunt; cum autem ipsa verba maxime consentiant ut: *nostrum officium sine adrogantia laudabimus* et *de nostro officio sine adrogantia dicemus*, porro *si nostra incommoda proferemus* et *si quae incommoda acciderint . . . . proferemus*, mihi quidem iam non dubium est, quin communis auctor ille latino sermone usus sit, sed mox apertiora huius rei vestigia inveniemus.

2. Ab adversariorum . . . . Cornif.:	Cic.:
Ab adversariorum persona benevolentia captabitur, si eos in odium, in invidiam, in contemptionem adducemus.	*Ab adversariorum autem, si eos aut in odium aut in invidiam aut in contemptionem adducemus.*
In odium rapiemus, si quod eorum spurce, superbe, perfidiose, crudeliter, confidenter, malitiose flagitiose proferemus.	*In odium ducentur, si quod eorum spurce, superbe, crudeliter, malitiose factum proferetur.*
In invidiam trahemus, si vim, si potentiam, factionem, divitias, eloquentiam, nobilitatem, clientelas, hospitium, sodalitatem, adfinitates adversariorum proferemus, et his adiumentis magis quam veritate eos confidere aperiemus.	*In invidiam, si vis eorum, potentia, [divitiae], cognatio, pecuniae proferentur atque eorum usus adrogans et intolerabilis, ut his rebus magis videantur quam causae suae confidere.*
In contemptionem adducemus,	*In contemptionem adducentur,*

8) Hoc loco legentem admonuisse volo, hunc et alios locos ex *partitionibus* Ciceronis, ex Aristotele et Anaximene adnotasse iam Kayserum in commentario suo in Cornificium, sed minime singula comparando recte iis ad interpretandum Cornificium usum esse.

si inertiam, ignaviam, desidiam, luxuriam adversariorum proferemus.	*si eorum inertia, neglegentia, ignavia, desidiosum studium et luxuriosum otium proferentur.*

Uterque plura quam alter praebet, Cornif.: *perfidiose . . . confidentur . . . flagitiose,* tum *factionem* etc., Cic.: *neglegentia* et antea *atque eorum usus adrogans et intolerabilis,* quamquam cogitari potest hoc ipsum eum addidisse, ut suo more id, quod Cornificius singillatim et rebus ipsis demonstrandis protulit, sententia quadam generali illustraret. Cum autem tam multa verba et sententiae, quin ipse verborum ordo mirum in modum consentiant, ut non casu factum esse possit, etiam haec communi illi latino auctori tribuenda sunt, quem modo statuimus. Tamen uterque sibi propria habet. Abstinet enim Cicero a magna synonymorum vocabulorum copia, cum ei magis placeat in universum loqui (ut homini philosophorum sermoni magis assueto), ut etiam in illis de *benevolentia a nostra persona comparanda* paulo supra repudiavit singulorum enumerationem; itaque omittit etiam hic multa nullo certo consilio (idem, si placet, ornamentum addit, ut ex *desidia et luxuria* fecit eleganter *desidiosum studium et luxuriosum otium*). Cornificius contra repudiat, si fieri potest, sententias generales, in enumerationibus vero, nisi quid superfluum videtur, diligentissimus est. Cicero quattuor tantum res, quae ad invidiam comparandam valeant, affert, Cornificius octo, e quibus num *clientelas* et *factionem,* quae Romano homini certe debentur, ipse an auctor Romanus addiderit, vix diiudicari potest. Ut hic addam aliud, quod proprium sermonis eius est, non sine arte hoc in capite sermonis varietatem quandam effecit ea re, quod et pro *benevolentiam comparare* infert synonyma verba *contrahere captare colligere,* tum *benevolum efficere,* Cicero duobus *captare* et *comparare* contentus est; porro pro *in invidiam adducere* habet *capere* et *trahere,* tertio demum loco audet

iterum verbo *adducere* uti. Haec et alia una cum brevitate elocutionis efficiunt, ut nobis Cornifici genus dicendi adeo, ut solet, placeat. Nunc ad propositum revertamur.

3. Ab auditorum. Cornif.: *Ab auditorum persona benevolentia colligetur, si res eorum fortiter, sapienter, mansuete, magnifice iudicatas proferemus et si, quae de iis existimatio, quae iudicii exspectatio sit, aperiemus.* Cic.: *Ab auditorum persona benevolentia captabitur, si res ab his fortiter, sapienter, mansuete gestae proferentur, ut ne qua adsentatio nimia significetur; si de his quam honesta existimatio quantaque eorum iudicii et auctoritatis exspectatio sit, ostendetur.*

Neuter alterius verba exscripsit, nam quod Cornificius habet *magnifice*, omittit Cicero, is vero plus praebet addendo sive retinendo sententiam generalem: *ut ne qua adsentatio nimia significetur*, quod non sine causa praecipitur. Cetera quoniam ad verbum ita consentiunt, ut *existimatio* et *exspectatio* apud utrumque redeat, hoc quoque loco auctor latinus evincitur.

4. Ab rebus ipsis. Cornif.: *Ab rebus ipsis benevolum efficiemus auditorem, si nostram causam laudando tollemus, adversariorum causam per contemptionem deprimemus.* Cic.: *Ab rebus, si nostram causam laudando extollemus, adversariorum causam per contemptionem deprimemus.*

Sequitur insinuatio.

Cornif.: *Deinceps de insinuatione aperiendum est. Tria sunt tempora, quibus principio uti non possumus, quae diligenter sunt consideranda: aut cum turpem causam habemus, hoc est, cum ipsa res animum auditoris a nobis alienat, aut cum animus auditoris persuasus esse*

Cic.: *Nunc insinuationes quemadmodum tractari conveniat, deinceps dicendum videtur. Insinuatione igitur utendum est, cum admirabile genus causae est, hoc est, ut ante diximus, cum animus auditoris infestus est. Id autem tribus ex causis fit maxime: si aut inest in ipsa*

videtur ab iis, qui ante contra dixerunt, aut cum defessus est eos audiendo, qui ante dixerunt.

causa quaedam turpitudo, aut ab eis, qui ante dixerunt, iam quiddam auditori persuasum videtur, aut eo tempore locus dicendi datur, cum iam illi, quos audire oportet, defessi sunt audiendo. Nam ex hac quoque re non minus quam ex primis duabus in oratore nonnunquam animus auditoris offenditur.

Haec alterum non ex altero petiisse ex ipsa rerum discrepantia sequitur, eo enim potissimum differunt, quod Cornificius tria tempora insinuationi subiungit, non unum admirabile genus idque in tres partes divisum, ut Cicero fecit. Sed suae distributionis Cornificius ipse disertis verbis rationem reddit loco illo, quo viri docti male usi sunt, I, 9, 16: *adhuc quae dicta sunt, arbitror mihi constare cum ceteris artis scriptoribus, nisi quae de insinuatione nova excogitavimus, quod eam soli praeter ceteros in tria tempora divisimus, ut plane certam viam et perspicuam rationem exordiorum haberemus.* Gloriatur igitur novam se rationem invenisse, cum apud ceteros alia exstaret insinuationis divisio, scilicet ea, quam apud Ciceronem invenimus. Cornificius autem, cum sibi tria tempora quodammodo desiderari viderentur propter similitudinem trium de principio praeceptorum — ita enim verba eius: *ut plane certam viam et perspicuam rationem exordiorum haberemus* interpretanda esse puto — paene inopinans meliorem et vetustiorem insinuationis distributionem restituit. Nam est sane vetustior haec, quae admirabilis vel turpis generis causae non rationem habet, sed tempora orationis spectat, postea inde ab Hermagora [9]), qui haec genera causae in-

9) cf. quae dixi pag. 6.

venisse videtur, ea cum principii et insinuationis pervulgata doctrina coniuncta sunt ita, ut insinuationis distributio cum iis consentiret, atque, cum παράδοξον genus solum ad insinuationem aptum videretur, insinuationi hoc tribuerunt, cetera principio (cf. Cic. I, 15, 21); sed simul tria illa tempora ei subiunxerunt, quod manifesto falsum est, nam hoc genus, ut supra vidimus, ad ipsam naturam causae spectat, non ad auditorum defatigationem aut persuasionem. Falsa est igitur Ciceronis ratio, quod ipse quodammodo sentire videtur, cum dicit: *nam ex hac quoque re non minus quam ex primis duabus in oratore nonnunquam animus auditoris offenditur.*

Ergo neuter ab altero pendet, vestigia autem latini auctoris adsunt, nam *cum animus auditoris persuasus esse videtur ab iis, qui ante contra dixerunt* fere verbotenus apud Ciceronem redeunt, quare etiam hanc falsam rationem distribuendi ad illum referendam esse apparet, a quo Cornificius, quod raro fecit, hic discessit. Differentiam vero inter utramque rationem nemo adhuc intellexit[10]), sed eandem esse clamant et inde probare volunt, Ciceronem Cornifici inventum in usum suum vertisse aut omnino ab eo pendere, quod quam falsum sit, probare studemus. —

Cornif.: *Si causa turpitudinem habebit, exordiri poterimus his rationibus: hominem, non rem spectari oportere, non placere nobis ipsis, quae facta dicantur ab adversariis, et esse indigna aut nefaria: deinde cum diu rem auxerimus, nihil simile a nobis factum ostendemus, aut*

Cic.: *Si causae turpitudo contraxit offensionem, aut pro eo homine, in quo offenditur, alium hominem, qui diligitur, interponi oportet, aut pro re, in qua offenditur, aliam rem, quae probatur, aut pro re hominem aut pro homine rem, ut ab eo, quod odit, ad id, quod diligit, animus auditoris*

10) Schuetzius in operum rhetor. Cic. edit. vol. I prol. p. XX (Weidner praefatio p. XV *idem in artificium . . . . . . uterque inciderat*). Bader de Cic. rhetor. libris p. 10.

aliquorum iudicium de simili causa [aut de eadem aut de minore aut de maiore][11]) *proferemus, deinde ad nostram causam pedetemptim accedemus et similitudinem conferemus, aut negabimus nos de adversariis aliqua re dicturos et tamen occulte dicemus interiectione verborum.*

traducatur; et dissimulare te id defensurum, quod existimeris. Deinde, cum iam mitior factus erit auditor, ingredi pedetemptim in defensionem et dicere ea, quae indignentur adversarii, tibi quoque indigna videri; deinde, cum lenieris eum, qui audiet, demonstrare, nihil eorum ad te pertinere et negare quicquam te de adversariis esse dicturum, neque hoc neque illud, ut neque aperte laedas eos, qui diliguntur, et tamen id obscure faciens, quoad possis, alienes ab eis auditorum voluntatem; et aliquorum iudicium simili de re aut auctoritatem proferre imitatione dignam, deinde eandem aut consimilem aut maiorem aut minorem agi rem in praesentia demonstrare.

Cornificius quoniam multo brevior et concisior est in his verbis quam Cicero, certe non fons eius fuit; et ne ipse quidem sua Ciceroni debet, cum habeat *interiectione verborum*, quod omittit ille. Multa in his verbis diversa ratione dicunt, tamen propter *pedetemptim* etiam hoc loco latinum fontem communem inspectum esse puto. Apud Cornificium scribendum est[12]) *hominem, non rem spectari*

11) Kayser delevit *aut de minore aut de maiore*, sed etiam *aut de eadem* tollendum est, quod explicatione non eget.

12) Quod Halmius anal. Tulliana I, 2 adn. 2 iam suspicatus est, sed cur, non satis explicavit, nam novissimus editor (Friedr. in Muelleri Cic. op. ed.) pravam scripturam retinuit.

oportere, quod indicant verba in margine Emmerani codicis ab altera manu addita *vel hominem non rem* (cf. Kayseri adnotationem criticam); nam hoc unum Cornificius ex copiosa illa, quae est apud Ciceronem, gradatione eligit, cum non omnia, quae usu venire possint, persequi velit, neque diversas, ut Cicero, vias monstrare sibi proposuerit, sed elegantius quam accuratius uno exemplo contentus sit. Nullo autem modo potuit ita incipere: *rem, non hominem spectari oportere*, nam de homine apud eum nihil ante dictum est, de re turpi tantum agitur. — Praeterea omisit *te id dissimulare defensurum, quod existimeris*, ac re vera nihil novi his verbis inducitur. Tum illud de *pedetemptim* ingrediendo praeceptum in alium locum transtulit, qua re vitium commisit, nam ubi sola alius iudicii comparatio cum hoc iudicio instituitur, quid sibi vult *pedetemptim?* Hoc igitur Cicero melius tradidit. —

Cornif.: *Si persuasus auditor fuerit, id est, si oratio adversariorum fidem auditoribus fecerit — neque enim non facile scire poterimus, quoniam non sumus nescii, quibus rebus fides fieri soleat — ergo si fidem factam putabimus, his rebus nos insinuabimus ad causam: de eo, quod adversarii firmissimum adiumentum sibi putaverint, primum nos dicturos pollicebimur. Ab adversarii dicto exordiemur, et ab eo maxime, quod ille nuperrime dixerit. Dubitatione utemur, quid po-*

Cic.: *Si oratio adversariorum fidem videbitur auditoribus fecisse, quod ei, qui intellegit, quibus rebus fides fiat, facile erit cognitu, oportet aut de eo, quod adversarii firmissimum sibi putaverint et maxime ei, qui audient, probaverint, primum te dicturum polliceri, aut ab adversarii dicto exordiri et ab eo potissimum, quod ille nuperrime dixerit, aut dubitatione uti, quid primum dicas aut cui po-*

tissimum dicamus, aut cui loco primum respondeamus, cum adfirmatione.

tissimum loco respondeas, cum adfirmatione. Nam auditor cum eum, quem adversarii perturbatum putavit oratione, videt animo firmissimo contradicere paratum, plerumque se potius temere adsensisse quam illum sine causa confidere arbitratur.

Nusquam adhuc adeo ad verbum idem dixerunt quam hic; eo magis dolendum est, quod hoc ipso loco non necessaria ratione demonstrari potest Cornificium non ex Cicerone hausisse. Hunc vero illum non inspexisse verisimile fit ex argumentatione illa, quam in fine Cicero addit, quae quamvis multum ad rem illustrandam faciat, a Cornificio omissa est. Sed etiam sic suspicari licet et unusquisque libenter concedet, haec ad communem latinum fontem referenda esse. —

Cornif.: *Si defessi erunt audiendo, [ab] aliqua re, quae risum movere possit, [ab] apologo, fabula, verisimili imitatione, depravatione, inversione, abiectione, suspicione, inrisione stultitia⟨e⟩*[13]*), superlatione, conlectione, litterarum mutatione; praeterea exspectatione, similitudine, novitate, historia, versu, alicuius interpellatione aut adrisione; aliter ac parati fuerimus, nos esse dicturos, nos non eodem modo, ut ceteri soleant, verba facturos; quid alii so-*

Cic.: *Sin auditoris studium defatigatio abalienavit a causa, te brevius, quam paratus fueris, esse dicturum commodum est polliceri, non imitaturum adversarium. Sin res dabit, non inutile est ab aliqua re nova aut ridicula incipere aut ex tempore quae nata sit, quam fere sequitur strepitus adclamationum; aut iam parata, quae vel apologum vel fabulam vel aliquam continet inrisionem; aut si rei dignitas adimet iocandi facultatem, ali-*

13) *Inrisione stultitiae* conieci pro *stultitia*, nam stultitias dicere Cornificium iubere nego.

leant, quid nos facturi simus, breviter exponemus.

quid triste, novum, horribile non incommodum erit inicere. Nam ut cibi satietas et fastidium aut subamara aliqua re relevatur aut dulci mitigatur, sic animus defessus audiendo aut admiratione integratur aut risu novatur.

Hoc loco non alterum altero usum esse probatur eo, quod et Cornificius in enumeratione earum rerum, quae risum movere possint, multo accuratior et diligentior est, ut solet, et Cicero harum rerum aptam et elegantem distributionem in improvisas et iam paratas profert atque praeterea *aliquid triste, novum, horribile* etc. addit, quae Cornificius omittit.

Latinum fontem subesse verisimillimum est propter verba *apologum — fabulam — inrisionem — aliter ac parati fuerimus — brevius quam paratus fueris.* Attendas velim, quomodo in Ciceronis mente opinio haereat (vel non tam in ipsius quam auctoris eius), hanc insinuationis partem eandem esse alteram generis turpis partem (quae quam falsa sit, supra diximus), cum dicat: *sin auditoris studium defatigatio abalienavit a causa*, nam abalienandi vocabulum supra in turpi sive admirabili genere usu venerat, (cf. Cic. I, 15, 20 et 21). — Cornificius ordinem praeceptorum invertit, ita ut ea, quae de ridiculis dicantur, priore loco ponat, in fine addat illud: *aliter ac parati fuerimus* . . . . .; fortasse ea de causa fecit, ut elegantius et brevius tertiam partem ad ceteras adiungeret (cum Kaysero ad *utemur* totam hanc enumerationem refero). Tamen non recte fecit, nam verba Ciceronis *sin res dabit* haec ridicula non semper usu venire probant vel non semper utendum iis esse rhetores censuisse; quae autem insolita magis sunt et occasione oblata tantum adhibenda, ea recte altero loco ponuntur. —

Iam sequuntur apud Ciceronem I, 18, 25 praecepta de sermone exordii, quae Cornificius I, 7, 11 audaci cum hyperbato inseruit vitiis exordii, brevitatis causa, ut opinor, ne denuo dividere, concludere, transire deberet.

Cornif.: *In exordienda causa servandum est, ut lenis sit sermo, ut usitata verborum consuetudo, ut non adparata oratio videatur esse.*

Cic.: *Exordium sententiarum et gravitatis plurimum debet habere et omnino omnia, quae pertinent ad dignitatem, in se continere, propterea quod id optime faciendum est, quod oratorem auditori vel maxime commendat; splendoris et festivitatis et concinnitudinis minimum propterea, quod ex his suspicio quaedam adparationis atque artificiosae diligentiae nascitur, quae maxime orationi fidem, oratori adimit auctoritatem.*

Ita differunt, ut primo obtutu vix quisquam credat communem eis auctorem fuisse, quem ut suspicemur, tamen *ut non adparata oratio videatur esse* et *quod ex his suspicio quaedam adparationis . . . . nascitur* mihi quidem monere videntur; quamquam nihil invenitur apud Ciceronem de *usitata verborum consuetudine,* nisi forte velis *lenis sermo et usitata verborum consuetudo* comparare cum *splendoris et festivitatis et concinnitudinis minimum.* Quare rem ita esse puto, ut communem illum auctorem multo uberius et singula enumerando de exordii sermone locutum esse opiner, unde Cicero, ut solet, generales magis sententias, Cornificius pauca quaedam singula decerpserit. —

Nunc ad vitia exordii venimus.

Cornif.: *Nunc ne quando vitioso exordio utamur, quae vitia vitanda sint, docebo* (hic

Cic.: *Vitia vero haec sunt certissima exordiorum, quae summopere vitare oportebit:*

inserta sunt illa de sermone exordii).

1. *Vitiosum exordium est, quod in plures causas potest adcommodari, quod vulgare dicitur.*
2. *Item vitiosum est, quo nihilominus adversarius potest uti, quod commune appellatur.*
3. *Item illud, quo adversarius poterit ex contrario uti.*
4. *Item vitiosum est, quod nimium adparatis verbis compositum aut nimium longum est.*
5. *Et quod non ex ipsa causa natum videtur, ut proprie cohaereat cum* [*narratione*] ⟨*oratione*⟩ [14]).
6. *et 7. Et quod neque benevolum neque docilem neque attentum facit auditorem.*

vulgare, commune, commutabile, longum, separatum, translatum, contra praecepta.

1. *Vulgare est, quod in plures causas potest adcommodari.*
2. *Commune, quod nihilominus in hanc quam in contrariam partem causae potest convenire.*
3. *Commutabile, quod ab adversario potest leviter mutatum ex contraria parte dici.*
4. *Longum est, quod pluribus verbis aut sententiis ultra quam satis est producitur.*
5. *Separatum, quod non ex ipsa causa ductum est nec sicut aliquod membrum adnexum orationi.*
6. *Translatum est, quod aliud conficit, quam genus causae postulat, ut si qui docilem faciat auditorem, cum benevolentiam causa desideret, aut si principio utatur, cum insinuationem res postulet.*
7. *Contra praecepta est, quod nihil eorum efficit, quorum*

---

14) Cornif. 5 *oratione* pro *narratione* necessarie reposui ex Cicerone, quid enim refert, si cum narratione cohaeret exordium?

causa de exordiis praecepta tradantur, hoc est, quod eum, qui audit, neque benevolum neque attentum neque docilem efficit, aut, quo nihil profecto peius est, ut contra sit, facit.

Hic Cicero Cornificio non usus est, quod is duo extrema praecepta in unum contraxit; nam alia causa, cur sextum omiserit, quam quod idem valere atque septimum putavit, id quod leviter legenti facile evenire potest, non potest cogitari. At Cornificius Ciceronem non secutus esse potest propter alterum praeceptum, quod hic structuram mutando deterrime depravavit. Nam *quod nihilominus in hanc quam in contrariam partem causae potest convenire* omni sensu caret, quasi vero quisquam exordium primum in contrariam partem dicat et falsum sit, si in hanc, id est dicentis partem quadret; inde enim vitium demum nascitur, quod in contrariam etiam convenit. Hinc Cornificius bonam suam huius praecepti formam ducere non poterat. Itaque communis fons statuendus, et cum multa verba consentiant, hoc ipso loco utrumque latino eodem auctore usum esse in praeceptis de exordio, egregie firmatur. — Sed cum id ipsum fere etiam verisimilius fiat e narrationis praeceptis, non contenti his de exordio etiam illa adiunximus.

Narratio.

(Cornif. I, 3, 4: *Narratio est rerum gestarum aut proinde ut gestarum expositio.*)	Cic. I, 19, 27: *Narratio est rerum gestarum aut ut gestarum expositio.*
Cornif. I, 8, 12: *Narrationum tria genera sunt: unum est, cum exponimus rem gestam et unumquidque trahimus ad utilitatem nostram vincendi*	Cic.: *Narrationum genera tria sunt. Unum genus est, in quo ipsa causa et omnis ratio controversiae continetur,*

causa, quod pertinet ad eas causas, de quibus iudicium futurum est.	
Alterum genus narrationis est, quod intercurrit nonnunquam fidei aut criminationis aut transitionis aut alicuius adparationis aut laudationis causa.	*alterum, in qua digressio aliqua extra causam aut criminationis aut similitudinis aut delectationis non alienae ab eo negotio, quo de agitur, aut amplificationis causa interponitur.*
Tertium genus est id, quod a causa civili remotum est, in quo tamen exerceri convenit, quo commodius illas superiores narrationes in causis tractare possimus.	*Tertium genus est remotum a civilibus causis, quod delectationis causa non inutili cum exercitatione dicitur et scribitur.* (Huius generis descriptionem, quae sequitur, hic consulto omisi, cf. *Sententiae controv. XI.*)

Ipsa prima narrationis definitio verbotenus eadem apud utrumque est ex graeco sermone translata (Hermogenes progymnasmat. rhet. gr. ed. Walz vol. I pag. 16, vers. 5, ed. Spengel vol. II p. 4 *τὸ διήγημα βούλονται εἶναι ἔκθεσιν πράγματος γεγονότος ἢ ὡς γεγονότος*, Theo prog. rhet. gr. ed. Walz vol. I, 182, 1, ed. Spengel vol. II p. 78 *διήγημά ἐστι λόγος ἐκθετικὸς πραγμάτων γεγονότων, ἢ ὡς γεγονότων*). Neque habemus hic *διηγήσεως*, id est alterius orationis partis, sed *διηγήματος* definitionem, quae est narratio latiore sensu (quid intersit, explicat Aphthonius prog. p. 60, 14 Walz, p. 22 Speng.), quamqam hoc ab utriusque scriptoris proposito abhorret, qui tantum eam, quae ad causas pertinet, narrationem tradere debeant. Haec igitur in utriusque fontem non ex rhetorica arte, sed aliunde confluxerunt. Primum autem *διηγήματος* genus, quod proprie dicitur *διήγησις*, quod pertinet ad causae expositionem, diversa ratione ab iis definiri alicui videri possit, cum Cicero iisdem fere

verbis utatur quibus Apollodorus (Quintil. IV, 2, 31 *narratio est oratio docens auditorem, quid in controversia sit.* Anonymus Seguerianus, Spengel rhet. gr. I, 434, 30 *Ἀπολλόδωρος δὲ οὕτως· διήγησίς ἐστι περιστάσεως ἔκθεσις*), nam *causa et ratio controversiae* idem est, quod de illo Quintilianus tradit: *quid in controversia sit*, quod ab anonymo *περίστασις* vocatur; Cornificius contra nihil dicat nisi: *cum exponimus rem gestam*. Sed *rem gestam* nimis in universum dictum est, res enim gesta etiam in aliis narrationibus exponitur, quae non ad causas iudiciales pertinent; quare mihi videtur Cornificius a fonte suo paulo deflexisse, in quo idem fuerit quod apud Ciceronem, nam ipsa verba *vincendi causa et utilitatem nostram* postulant antea causam significatam esse. Itaque re vera nihil aliud apud Ciceronem atque apud Cornificium praecipitur. Hic vero addit[15]) aliquid, *et unumquidque trahimus ad utilitatem nostram*, quibus verbis praecipitur, ne sine ira et studio narrationes dicantur. Vel inde apparet non Cornificium ex Cicerone hausisse, Cicero contra, cum illam definitionem melius quam Cornificius tradat, quo modo ex illo haurire potuit? Communis igitur fuit utriusque auctor, qui latinus fuisse evincitur verbis *criminationis — quod remotum est a civilibus causis* aliis. In insequentibus verbis de altero narrationis genere Cornificius accuratius verba auctoris sui latini reddidit, nam verbo *intercurrit* respondet accuratissime vocabulum *παρεμπίπτει* in graeca definitione, quam servavit Anonymus Seguerianus p. 435, 15 Sp. rhet. gr. vol. I *τῶν δὲ ἐπὶ κριτῶν αἱ μὲν κατὰ τὸ ἀμφισβητούμενον αὐτὸ συν-*

---

15) Redit hoc additamentum in Zenonis definitione apud Anonymum Seguer. p. 434, 23 Ζήνων δὲ οὕτω φησι· διήγησίς ἐστι τῶν ἐν τῇ ὑποθέσει πραγμάτων ἔκθεσις εἰς τὸ τοῦ λέγοντος πρόσωπον ῥέπουσα, ubi taedium efficit Byzantinorum sordes εἰς τὸ ὑπὲρ τοῦ λέγοντος πρόσωπον ῥέουσα. Miror illos, qui talia non abiecerint (ut Volkmann, Rhetorik[2] p. 150, Striller de Stoicor. stud. rhet. p. 6, Spengel in rhet. gr. I p. 434, 24.)

ἵστανται .... αἱ δὲ παρεμπίπτουσι πίστεως ἕνεκεν ἢ αὐξήσως ἢ διαβολῆς ἢ ἄλλου τινὸς τοιούτου, ἅςτινας καὶ παραδιηγήσεις τινὲς καλοῦσιν, unde Ciceronis *digressio interponitur* paulo magis recedit. —

Cornif. I, 9, 14: *Tris convenit res habere narrationem, ut brevis, ut dilucida, ut verisimilis sit; quae quoniam fieri oportere scimus, quemadmodum faciamus cognoscendum est.*

Rem breviter narrare poterimus, si inde incipiemus narrare, unde necesse erit, et si non ab ultimo initio repetere volemus, et si summatim, non particulatim narrabimus, et si non ad extremum, sed usque eo, quo opus sit, persequamur, et si transitionibus nullis utemur, et si non deerrabimus ab eo, quod coeperimus exponere, et si exitus rerum ita ponemus, ut ante quoque quae facta sint, sciri possint, tametsi nos reticuerimus, quod genus: si dicam me ex provincia ...... et omnino non modo id, quod obest, sed etiam id, quod neque obest neque adiuvat, satius est praeterire; et ne bis aut saepius idem dicamus, cavendum est; etiam ne id, quod

Cic. I, 19, 28: *Oportet igitur eam tres habere res: ut brevis, ut aperta, ut probabilis sit.*

Brevis erit, si, unde necesse est, inde initium sumetur et non ab ultimo repetetur et si, cuius rei satis sit summam dixisse, eius partes non dicentur (nam saepe satis est, quod factum sit dicere, ut ne narres, quemadmodum sit factum) et si non longius, quam opus est, in narrando procedetur, et si nullam in rem aliam transibitur; et si ita dicetur, ut nonnunquam ex eo, quod dictum est, id, quod non est dictum, intellegatur. Et si non modo id, quod obest, verum etiam id, quod nec obest nec adiuvat, praeteribitur. Et si semel unumquidque dicemus, et si non ab eo, quo in proxime desitum erit, deinceps incipietur.

Cornificius	Cicero
semel diximus, deinceps dicamus, hoc modo: Athenis etc.	
	Ac multos imitatio brevitatis decipit, ut, cum se breves putant esse, longissimi sint; cum dent operam, ut res multas brevi dicant, non ut omnino paucas res dicant et non plures, quam necesse erit. Nam plerisque breviter videtur dicere, qui ita dicit: accessi ad aedes . . . . . quare [hoc quoque in genere] vitanda[16]) *est brevitatis imitatio et non minus rerum non necessariarum quam verborum multitudine supersedendum est.*

Ubi maxime ad verbum consentiunt, tamen ex sua libidine vel natura uterque paulo aliter loquuntur:

Cornif. *initium sumetur*, Cic. *incipiemus*

— *ab ultimo initio repetere* — *ab ultimo repetere*,

Cornificius *summatim*, *particulatim*, quibus vertuntur sine dubio graeca verba κεφαλαιωδῶς μερικῶς, Cicero elegantius dicit: *et si, cuius rei erit summam dixisse, eius partes non dicentur.* Verba autem quae sequuntur: *nam saepe satis est, quid factum sit dicere, ut ne narres, quemadmodum sit factum* a Cicerone ipso addita sunt, nam fere idem dicunt atque ea, quae infra de brevitatis imitatione adiunguntur; et quamquam ad rem ipsam explicandam apta sunt, tamen, quae infra explicationis causa additurus erat, nondum hoc loco praecipienda erant. Etiam in ceteris non satis accurate et dilucide loquitur; cum enim Cornificius habeat: *et si transitionibus nullis utemur et si non deer-*

16) Verba *hoc quoque in genere* delevi ut a quodam addita, qui putaret novam rem hic a Cicerone induci.

rabimus ab eo quod coeperimus exponere, Cicero praebet: *et si nullam in rem aliam transibitur*, quod aliud est quam Cornificianum illud et re vera idem est atque *et si non deerrabimus*. Re vera igitur Cicero omisit illud optimum et utilissimum praeceptum, *et si transitionibus nullis utemur*, fortasse utrumque idem significare opinatus vel prospiciens ad ea, quae paulo infra 29 de aperta narratione fere iisdem verbis praecipiuntur *ne quam in aliam rem transeatur*. — Vel ex hac re apparet Cornificium non Ciceronem sequi, Ciceronem contra non Cornificio usum esse ex alio loco evincitur, ubi ille peccavit: *etiam ne id, quod semel diximus, deinceps dicamus* idem significat, ut exemplo patet, atque apud Ciceronem: *et si non ab eo, quo in proxime desitum est, deinceps incipiemus;* haec verba vim Cornificiani exempli *Athenis Megaram* etc. reddunt, nam est κλῖμαξ figura quae vocatur, sed hoc in Cornifici verbis non inest, quae multo latius patent; commixtum enim est cum proximo praecepto Ciceronis: *et si semel unumquidque dicemus*. Ergo Cicero hic meliorem rationem praebet. — Quae cum ita sint, communem auctorem etiam hic suspicabimur illis fuisse, scilicet latinum illum, quod vel ex consensu sequitur, qui inest in: *et omnino non modo id, quod obest* etc. Cic.: *et si non modo id quod obest* etc. . . . .

Cornif.: *Item dilucide narrabimus, si, ut quidque primum gestum erit, ita primum exponemus, et rerum ac temporum ordinem conservabimus, ut gestae res erunt aut ut potuisse geri videbuntur. Hic erit considerandum, ne quid perturbate, ne quid ambigue, ne quid nove dicamus, ne quam in aliam rem transea-*	Cic.: *Aperta autem narratio poterit esse, si, ut quidque primum gestum erit, ita primum exponetur, et rerum ac temporum ordo servabitur, ut ita narrentur, ut gestae res erunt aut ut potuisse geri videbuntur. Hic erit considerandum, ne quid perturbate, ne quid contorte dicatur, ne quam in aliam rem transeamus, ne ab*

mus, ne ab ultimo repetamus, ne longe persequamur, ne quid, quod ad rem pertinet, praetereamus — et si sequemur ea, quae de brevitate praecepta sunt. Nam quo brevior, eo dilucidior et cognitu facilior narratio fiet.

ultimo repetatur, ne ad extremum persequamur, ne quid, quod ad rem pertinet, praetereatur — et omnino quae praecepta de brevitate sunt, hoc quoque in genere sunt conservanda. Nam saepe res parum est intellectu longitudine magis quam obscuritate narrationis. Ac verbis quoque dilucidis utendum est, quo de genere dicendum est in praeceptis elocutionis.

Latini rhetoris vestigia uterque tam diligenter premit, ut fere nihil differant. Sed alterum non ex altero hausisse vix demonstrari posset, nisi Cornificius iterum brevitatis studio aliquid commisisset, desunt enim apud eum verba *ut ita narrentur*, quae necessaria sunt, nam apud Ciceronem sic tota periodus intellegenda est, ut verba: *ut ita narrentur, ut gestae . . . . videbuntur* non solum ad *rerum et temporum ordinem* referantur — is enim non narratur — sed ad omnia, quae ante dicta sunt, ut tamen *res* ex insequentibus suppleatur. Ubi autem *ut ita narrentur* exemeris, quae sequuntur solum ad *temporum et rerum ordinem* ἐπεξηγητικῶς pertinent, quod fecit Cornificius quaque re, quamvis per se ferri possit, structuram invertit. Itaque Cornificium Cicero non adhibuit. Item ille plura praebet quam hic, nam addit: *ne quid nove dicamus* ad cetera vitia. —

Cornif.: *Verisimilis narratio erit, si, ut mos, ut opinio, ut natura postulat, dicemus; si spatia temporum, personarum dignitates, consiliorum rationes, locorum opportunitates*

Cic.: *Probabilis erit narratio, si in ea videbuntur inesse ea, quae solent apparere in veritate, si personarum dignitates servabuntur, si causae factorum exstabunt, si fuisse facultates*

constabunt, ne refelli possit aut temporis parum fuisse aut causam nullam aut locum idoneum non fuisse aut homines ipsos aut facere aut pati non potuisse. Si vera res erit, nihilominus haec omnia narrando conservanda sunt, nam saepe veritas, nisi haec servata sint, fidem facere non potest. Sin erit ficta, eo magis sunt conservanda. De iis rebus caute confingendum[17]*) est, quibus in rebus tabulae aut alicuius firma auctoritas videbitur interfuisse.*

faciundi videbuntur, si tempus idoneum, si spatii satis, si locus opportunus ad gerendam rem, qua de re narrabitur, fuisse ostendetur. Si res ad eorum, qui agunt, naturam et ad vulgi morem et ad eorum, qui audient, opinionem accommodabitur.

Alter alterius verba supplet, nam apud Cornificium desunt, quae in universum a Cicerone praemittuntur: *si in ea videbuntur inesse, quae solent apparere in veritate,* quae ab ipso Cicerone explicationis causa addita esse quis non libenter coniiceret, nisi ab Anonymo Segueriano p. 438, 25 vol. I (Spengel rhet. gr.) idem initium servatum esset: *πιθανὴ δὲ διήγησις γίνεται, εἰ πάντα, ὅσα λέγει τις, ἐξομοιοῦν πειρῷτο τοῖς ἀληθέσι,* (et tum consimilia iis, quae apud Ciceronem exstant, sequuntur)? Cornificius vero alia addit eaque gravissima, ut etiam hic communem auctorem ex utroque nobis restituamus necesse sit, qui fuit certe etiam hic rhetor ille latinus, cum *personarum dignitates* apud utrumque redire non casu factum esse putaverim. —

Ad finem huius quaestionis pervenimus et, quod voluimus, probavisse nos speramus; neque puto facile quempiam, qui quidem accurate comparationem nostram secutus

---

17) Restitui unice veram scripturam *confingendum* et miror Kayserum p. 15 falsam praetulisse. Idem verbum adhibuit Cornificius II, 8, 12: *quare quispiam confingeret et eminisceretur.*

sit, dubitaturum esse, quin neque Cornificius Ciceronis opere usus sit neque hic illius, sed communem iis fuisse auctorem, qui latina lingua praecepta tradiderit, concessurum. Neque id existimo quaestione nostra non planum factum esse, ad latinum illum rhetorem restituendum cauta ratione modo illum modo hunc modo utrumque adhibendum esse, cum uterque saepius male auctoris sui verba intellexerit, male reddiderit, saepius alter ex alterius demum comparatione intellegatur, ita, ut in his quidem capitibus exceptis iis, quae Cicero ex proprio fonte adsperserit, Cornifici et Ciceronis opera pro eiusdem archetypi libri diversis quodammodo apographis sint.

Eandem vero rationem etiam in alias utriusque operis partes valere affirmare possum (nam accurate demonstrare longum est); ut ea, quae de conclusione (Cornif. II, 30, 47, Cic. I, 52, 98) praecipiuntur, sine dubio eidem latino rhetori debentur, item illa de partitione vel divisione (Cornif. I, 10, 17, Cic. I, 22, 31), praeter ea, quae Cicero ipse addidit, de quibus alio loco dicemus. Sed cum maximam inventionis partem comprehendat confirmatio et confutatio, quae iam relinquuntur ex sex orationibus partibus, in his non adeo consentiunt, sed permultum differunt neque earum tam simplex ratio est quam ceterarum partium. Quare iam in haec inquirendum est.

CAPUT ALTERUM.

(Confirmationis et confutationis praeceptorum ἀνάλυσις.)

Confirmatio (et confutatio) non eadem semper ratione tractatur, sed alia in singulis causarum generibus est, quare in unumquodque causae genus praecepta argumentandi traduntur. Haec genera causarum apud Ciceronem et Cornificium constitutiones appellantur, sed eorum distributio alia apud hunc, alia apud illum est. Cicero enim Hermagorum sequitur [18]), quamquam non puram eius doctrinam sed mutatam exhibet, ut et ipse dixit et alio loco accuratius exponetur; ratio autem eius haec est I, 8, 10: *omnis res, quae habet in se positam in dictione ac disceptatione aliquam controversiam, aut facti aut nominis aut generis aut actionis continet quaestionem. Eam igitur quaestionem, ex qua causa nascitur, constitutionem appellamus. Constitutio est . . . . cum facti controversia est, quoniam coniecturis causa firmatur, constitutio coniecturalis appellatur. Cum autem nominis, quoniam vis vocabuli definienda verbis est, constitutio definitiva nominatur. Cum vero, qualis res sit, quaeritur, quia de vi et de genere negotii controversia est, constitutio generalis vocatur. At cum causa ex eo pendet, quod non aut is agere videtur, quem oportet, aut cum eo, quicum oportet, aut apud quos, quo tempore, qua lege, quo crimine, qua poena oportet, translativa dicitur constitutio, quia actio translationis et commutationis indigere videtur.* Praeter haec genera separatim posita habet alia quinque, quibus eae

---

18) Ut ex Quintiliano III, 6, 56 seqq. discimus.

causae comprehenduntur, quae versantur in scripto, I, 12, 17: *deinde considerandum est, in ratione an in scripto sit controversia, nam scripti controversia est ea, quae ex scriptionis genere nascitur. Eius autem genera, quae separata sunt a constitutionibus, quinque sunt. Nam tum verba ipsa videntur cum sententia scriptoris dissidere, tum inter se duae leges aut plures discrepare, tum id, quod scriptum est, duas aut plures res significare; tum ex eo, quod scriptum est, aliud, quod non scriptum est, inveniri; tum vis verbi quasi in definitiva constitutione, in quo posita sit, quaeri. Quare primum genus de scripto et sententia, secundum ex contrariis legibus, tertium ambiguum, quartum ratiocinativum, quintum definitivum nominamus.*

Cornificius ab hac doctrina discedit, nam dicit I, 11, 18: *Causarum constitutiones alii quattuor fecerunt, noster doctor tres putavit esse, non ut de illorum quicquam detraheret inventione, sed ut ostenderet, id quod oportuisset simpliciter ac singulari modo docere, illos distribuisse dupliciter et bipertito. Constitutio est . . . . constitutiones itaque, ut ante diximus, tres sunt: coniecturalis, legitima, iuridicialis. Coniecturalis est, cum de facto controversia est . . . . legitima constitutio est, cum ex scripto aliquid controversiae nascitur. Ea dividitur in partes sex: scriptum et sententiam, contrarias leges, ambiguum, definitionem, translationem, ratiocinationem . . . . .* 14, 24: *iuridicialis constitutio est, cum factum convenit, sed iure an iniuria factum sit, quaeritur.* Doctor ille igitur Cornifici Hermagorae doctrinam ita mutavit, ut definitivam et translativam constitutionem et quaestiones de scripto omnes uni legitimae subiungeret constitutioni. Qui fuerit ille doctor, nescimus, sed eundem esse atque latinum illum rhetorem, quem evicimus quemque in maxima parte primi et alterius libri Cornificium secutum esse apparebit, iam hic pro certo paene confirmare possumus. Quem

Cicero in hac constitutionum doctrina reliquit et ad vetustiorem disciplinam regressus est. Sed haec differentia tam aperta est, ut longiore explicatione [19]) non egeat. — Atque haec quidem Cornificius et Cicero in primo libro proposuerunt, in altero libro secundum eum, quem primo libro exposuerant, ordinem accuratissime praecipiunt, quo modo in unaquaque constitutione argumentationes facere oporteat, quoque loco unumquodque argumentum ponendum sit, Cornif. II, 2, 2: *reliquum videbatur esse, ut ostenderermus, quae ratio posset inventionis ad unamquamque constitutionem aut partem constitutionis adcommodari* . . . ., Cic. II, 3, 11: *quare cum in eo* (scil. primo libro) *ceteris de rebus distinctius dictum sit, disperse autem de confirmatione et de reprehensione, nunc certos confirmandi et reprehendendi in singula causarum genera locos tradendos arbitramur.* — In hanc igitur utriusque artis partem nunc inquiremus atque accuratissime quidem in ea, quae in coniecturalem constitutionem praecipiuntur.

A) Constitutio coniecturalis.

Cornif. II, 2, 2: *Primum ergo quaeremus, quemadmodum quamque causam tractare conveniat et nimirum eam, quae difficillima est, potissimum consideremus. In causa coniecturali narratio accusatoris suspiciones interiectas et dispersas habere debet, ut nihil actum, nihil dictum, nusquam ventum aut abitum, nihil denique factum sine causa putetur. Defensoris narratio simplicem et dilucidam expositionem debet habere cum attenuatione suspicionis.* Horum nihil in Ciceronis libro altero 5, 16, ubi de coniecturali constitutione praecipit, invenitur; sed, ne excogitata putes ab ipso Cor-

19) Quam effundit Netzker in Fleckeiseni annal. 1886, cuius commentationem moneo ne legat is, qui haec cognoscere velit, nam, cum compluribus paginis demonstrare studeat, quam bene Cornificius Hermagorae doctrinam mutaverit, non vidit ipsum Cornificium non sibi, sed doctori suo hoc inventum tribuere.

nificio aut eius doctore, adscribam consimilia ex Ciceronis *partitionibus oratoriis*, ubi itidem in singulas constitutiones praecepta dantur 121: *Harum causarum principia suspiciosa ad acerbitatem ab accusatore ponentur, denuntiabiturque insidiarum commune periculum . . . . . . ab reo autem querela conflati criminis . . . . . . narratio autem accusatoris erit quasi membratim gesti negotii suspiciosa explicatio, sparsis omnibus argumentis, obscuratis defensionibus. Defensori, aut praeteritis aut obscuratis suspicionum argumentis, rerum ipsarum eventus erunt casusque narrandi.* Sequuntur nonnulla de confirmatione et conclusione. Sine dubio iam in fonte Cornifici aut doctoris eius talia praecipiebantur. — Tum legitur apud utrumque ipsa *ratio* constitutionis coniecturalis, quae apud Cornificium in sex certa argumentorum genera divisa est certis nominibus notata: probabile, conlationem, signum, argumentum, consecutionem, adprobationem, Cicero diversa ratione distribuit in argumenta ex causa, persona, facto ipso repetita. Tamen in singulis multa simillima et fere eadem sunt, quae discrepantiae et similitudines quales sint, iam videamus.

Cornif. II, 2, 3: *Probabile est, per quod probatur expedisse peccare et a simili turpitudine hominem nusquam afuisse. Id dividitur in causam et vitam. Causa est, quae induxit ad maleficium commodorum spe aut incommodorum evitatione, cum quaeritur, num quod commodum maleficio appetierit, num honorem, num pecuniam, num dominationem, num aliquam cupiditatem amoris aut huiusmodi libidinis voluerit explere aut num quod incommodum vitarit, inimicitias, infamiam, dolorem, supplicium.*

Cicero II, 5, 17 et ipse *causam* habet, sed bipertitam: *Causa tribuitur in impulsionem et ratiocinationem, impulsio est, quae sine cogitatione per quandam adfectionem animi facere aliquid hortatur, ut amor, iracundia etc. . . . ratiocinatio est diligens et considerata faciendi aliquid aut non faciendi excogitatio. Ea dicitur interfuisse tum, cum ali-*

quid certa de causa vitasse aut secutus esse animus videtur etc. eaque amplissima disputatione exsequitur (§ 18—27).

Cornificius impulsionem et ratiocinationem videtur aut ipse contraxisse in unum aut ab auctore suo ita didicisse, nam amor et libidines et cupiditates, quas enumerat, non semper ad commoda et incommoda, ut ait, referri possunt; ceterum graeca etiam nomina *impulsionis* et *ratiocinationis* exstant in Fortunatiani arte rhetorica p. 103, 21 seqq. (Halm), ubi sunt *ὀρεκτικὴ αἰτία* et *τεχνικὴ αἰτία* (magis etiam quadrat *αἰτία κατ' ἔμφασιν* et *κατ' ἔννοιαν*, sed doleo, ubi legerim, me oblitum esse).

Cornificius pergit: *Vita hominis ex ante factis spectabitur. Primum considerabit accusator, num quando simile quid fecerit; si id non reperiet, quaeret, num quando similem venerit in suspicionem, et in eo debet esse occupatus, ut ad eam causam peccati, quam paulo ante exposuerit, vita hominis possit adcommodari, hoc modo: si dicet pecuniae causa fecisse, ostendet eum semper avarum fuisse, si honoris, ambitiosum; ita poterit animi vitium cum causa peccati conglutinare; si non poterit par animi vitium cum causa reperire, reperiat dispar; si non poterit avarum demonstrare, demonstret corruptorem, perfidum, vel si quo modo poterit aliquo aut quam plurimis vitiis contaminare personam; deinde qui illud*

Cum his congruunt, quae Cicero II, 10, 32 dicit in suspicionibus ex persona ductis: *Quare vitam eius, quem arguit, ex ante factis accusator improbare debebit et ostendere, si quo in pari ante peccato convictus sit; si id non poterit, si quam in similem ante suspicionem venerit, ac maxime, si fieri poterit, simili aliquo in genere eiusdem modi aliqua causa commotum peccasse aut in aeque magna re aut in maiore aut in minore, ut si, qui aliquem pecunia dicat inductum fecisse, possit demonstrare aliqua in re eius aliquod factum avarum. Item in omni causa naturam aut victum aut studium aut fortunam aut aliquid eorum, quae personis attributa sunt, ad eam causam, qua commotum peccasse dicet, adiungere atque ex dis-*

fecerit tam nequiter, eundem hoc tam perperam fecisse non esse mirandum. Si vehementer castus et integer existimabitur adversarius, dicet facta, non famam spectare oportere; illum ante occultasse sua flagitia, se planum facturum, ab eo maleficium non abesse.

pari quoque genere, si ex pari sumendi facultas non erit, improbare animum adversarii oportebit. Si avaritia inductum arguas fecisse et avarum eum, quem accuses, demonstrare non possis, aliis adfinem vitiis esse doceas et ex ea re non esse mirandum, quod qui in illa iam re turpis aut cupidus aut petulans fuerit, hac quoque in re eum deliquisse. Quantum de honestate . . . . . . si nulli adfinis poterit vitio reus ante admisso demonstrari, locus inducetur ille, per quem hortandi iudices erunt, ut veterem famam hominis nihil ad rem putent pertinere, nam ante celasse, nunc manifesto teneri etc. . . . .

Defensor primum demonstrabit vitam integram, si poterit; id si non poterit, confugiet ad imprudentiam, stultitiam, adulescentiam, vim, persuasionem; quibus rebus vituperatio eorum, quae extra id crimen erunt, debeat adsignari. Sin vehementer hominis turpitudine impedietur et infamia, prius dabit operam, ut falsos rumores dissipatos esse dicat de innocente et utetur loco com-

Defensor autem primum, si poterit, debebit vitam eius, qui insimulabitur, quam honestissimam demonstrare; id faciet, si ostendet . . . . . etc. (quae sequuntur usque ad paragraphi 36 finem, a Cornificio omissa sunt). *Sin autem in ante acta vita aliquae turpitudines erunt, aut falso venisse in eum existimationem dicetur ex aliquorum invidia aut obtrectatione aut falsa*

muni, rumoribus credi non oportere, sin nihil horum fieri poterit, utatur extrema defensione: dicat non se de moribus eius apud censores, sed de criminibus adversariorum apud iudices dicere.

opinione, aut imprudentiae, necessitudini, persuasioni, adulescentiae aut alicui non malitiosae animi affectioni adtribuentur, aut dissimili esse in genere vitiorum. At si nullo modo vitae turpitudo aut infamia leniri poterit oratione, negare oportebit attinere de vita eius et de moribus quaerere, sed de eo crimine, quo de arguatur; quare ante factis omissis illud, quod instet, agi oportere.

Hanc argumentationis partem, quae est de *vita*, ad verbum exscripi, ut ostenderem, haec apud utrumque ad unam eandemque artem rhetoricam referenda esse, nam non solum sententiae et praeceptorum series, sed ipsi transitus, ipsa demum verba eadem sunt, ut etiam hic latinum fontem suspicari cogamur, atque quamquam nunciam singula examinare non necessarium est, tamen, cum hoc fundamentum sit quaestionis insequentis, conferas velim haec:

Cornif.: *Vita hominis ex ante factis spectabitur.*

Cic.: *Vitam eius, quem arguit, ex ante factis accusatorimprobare . . . . .*

Cornif.: *Si id non reperiet, num quando similem venerit in suspicionem* [20]).

Cic.: *Si id non poterit, si quam in similem ante suspicionem venerit.*

Cornif.: *Reperiet dispar . . . . non esse mirandum . . . .*

Cic.: *Ex dispari quoque genere . . non esse mirandum . . . .*

---

20) Potest tamen hoc quidem verbotenus et quasi necessario e sermone graeco translatum esse, nam exstat exempli causa πρὸς ὑποψίαν ἥκειν (Demosth.) or. 11 p. 154, 8.

Cornif.: *Sin vehementer hominis turpitudine impedietur et infamia.*

Cic.: *At si nullo modo vitae turpitudo aut infamia leniri poterit oratione.*

Cornif.: *Dicat non se de moribus apud censores, sed de criminibus . . . . . .*

Cic.: *De vita eius et de moribus quaerere, sed de eo crimine.*

Haec ita consentiunt, ut non casu factum esse possit, sed ad eundem fontem latinum referenda sint. Inde sequitur, Cornificium brevitatis causa omnia illa omisisse, quae solus Cicero praebeat, qui qua ratione ea ex alio fonte admiscuerit, fingere mihi non possum. Cum autem illum in iis, quae de *causa* ante dixerit, adeo brevitati studuisse viderimus, ut sine Cicerone omnino non intellegeretur, quid verisimilius est, quam eum ea etiam, quae solus Cicero in coniecturae *ex causa* expositione habeat (II, 19—23, 25—27, nam paragraphi 24, ut statim videbimus, alia ratio est) omisisse? Praesertim cum apud eum desideremus accurata praecepta, quibus accusator et defensor in explicanda *causa* facti utantur, quae in *vita*, altera eiusdem generis parte, non desiderantur. Quae cum ita sint, etiam in *causa* eodem utrumque fonte usum esse concludo. Num latino, non potest decerni, sed cum in praeceptis de vita latinum Cornifici doctorem exscripisset, in praeceptis de causa eundem auctorem adire proximum erat.

Sequitur apud Cornificium conlatio: *Conlatio est, cum accusator id, quod adversarium fecisse criminatur, alii nemini nisi reo bonum fuisse demonstrat, aut alium neminem potuisse perficere nisi adversarium, aut eum ipsum aliis rationibus aut non potuisse aut non aeque commode potuisse aut eum fugisse illas alias rationes*[21]) *commodiores propter*

---

21) Vratislaviensis scripturam unice veram puto: *eum fugisse illas alias rationes* . . . ., quod Cornifici expresse loquendi consuetudini maxime convenit, cf. I, 4, 6 *ne quid illa turpitudinis pars* . . . .

cupiditatem. Hoc loco defensorem demonstrare oportet aut aliis quoque bono fuisse aut alios quoque id, quod ipse insimuletur, facere potuisse.

Conlatio graece fuisse videtur σύγκρισις, quamquam nullum vestigium huius argumentandi rationis apud graecos technographos servatum est. Est autem argumentandi genus, quod nos dicimus *indirekt*, quo utitur accusator, ut ad reum ipsum iudicum suspicionem convertat. Nam si alii neque potuerunt facere neque habuerunt causam faciendi, verisimile fit ipsum reum fecisse. Et quamvis per se debilis et infirma talis argumentandi ratio tamen cum ceteris suspicionibus multum efficit, atque ob id ipsum consulto ab inventore huius disciplinae secundo loco posita est; hoc enim proprium est Cornifici coniecturalis constitutionis dispositionis, quod gradatim a levioribus ad graviora artificiosissime ascendit et sensim reum in suspiciones irretit. — Apud Ciceronem vero *probabile*, id est *causam* et *vitam* invenimus ab eodem quo apud Cornificium fonte profectas, *conlatio* primo obtutu ab eo omissa videtur, tamen vestigium eius exstare vidit Volkmann (Rhetorik der Griechen und Römer[2] p. 370/71)[22]), sed falso loco ab eo positam esse non vidit, exstat enim II, 7, 24 inter *causae* expositionem; postquam iam satis de *causa* dixit et potissimum quomodo quid in opinione rei fuerit ostendatur exposuit, pergit 24: *hoc autem loco caput illud erit accusatoris, si demonstrare poterit alii nemini causam fuisse faciendi, secundarium, si tam idoneam nemini. Sin fuisse aliis quoque causa faciendi videbitur, aut potestas defuisse aliis demonstranda est aut facultas aut voluntas. Potestas, si aut nescisse aut non adfuisse aut conficere aliquid non potuisse dicentur. Facultas, si ratio, adiutores, adiumenta, cetera, quae ad rem pertinent, defuisse alicui demonstrabuntur. Voluntas, si animus a talibus factis vacuus et integer esse dicetur . . . . . .*

---

22) Et Bader *de Ciceronis rhetor. libris* p. 12.

Atque haec quidem a Cicerone ad causam adnexa revera iis esse simillima, quae de conlatione Cornificius tradiderit, nemo negabit. Agnoscimus igitur in his conlationem, nam verba: *sin fuisse aliis quoque causa faciendi videbitur, aut* *p o t e s t a s* *defuisse aliis demonstranda est (aut facultas aut voluntas)* fere idem significant, quod apud Cornificium: *aut alium neminem* *p o t u i s s e* *perficere,* apud quem omissa sunt *facultas* et *voluntas.*

Sed nonne mirum est, quod apud Cornificium hoc argumentum proprium in serie argumentorum locum habet, apud Ciceronem quasi appendix est ad *causae* firmationem? Utrum rectius? Mihi Ciceronis vitium manifestum esse videtur ex additamento: *sin fuisse aliis quoque causa faciendi videtur* etc. . . . . .; nam si demonstratur, aliis non potestatem fuisse, non facultatem, nihil de *causa* facti probatur, sed aliunde suspicionibus ductis ipsum factum probatur, quod ab argumentatione sensim per argumentorum gradus ascendente abhorret. Quid, quod additur *v o l u n t a s?* quae huc omnino non quadret, nam eiusmodi sententia evadit: *si aliis* *c a u s a* *fuit,* *v o l u n t a t e m* *iis defuisse demonstrandum est.* At tamen causa ea quidem, de qua hoc loco agitur (impulsione et ratiocinatione), ipsa voluntas iam continetur: an ratiocinatio a voluntate secerni potest? Quod igitur supra ponitur *sin fuisse aliis quoque causa videtur,* ei gravissime obstat *voluntas defuisse demonstranda est* (quae demonstratur, si animus a talibus factis vacuus et integer esse dicetur). — Sed dixerit quispiam verba *si demonstrare poterit alii nemini causam fuisse faciendi* etc. posse intellegi ita: *etsi causam habuerint, tamen noluisse facere,* nulla ratione habita eorum, quae antea de *causa* exposita sint; tamen concedendum est, haec inde a paragrapho 24 ab illa *causae* explicatione dissentire. Utraque ergo ratione probabile fit, Ciceronem haec ex alieno loco in *causam* inculcasse[23]), quem ad finem, postea videbimus.

23) Accedit, quod ne in iis quidem praeceptis, quae infra defensori

Ex altera parte Cornificius ipse addidit quaedam, quae revera non conlationis sunt atque a tali argumentandi ratione abhorrere videntur, sed similitudine sola cum ea coniunguntur, dico illa: *aut eum ipsum aliis rationibus aut non potuisse aut non aeque commode potuisse aut eum fugisse illas alias rationes propter cupiditatem.* Quae spectant ad rationem, qua ipse reus rem egerit, ad ipsam rem evincendam, ad signa et argumenta, non ad eum, qui fecerit, explorandum. Quare hic nondum locum habent, quod quomodo explicetur, in fine nostrae disputationis intellegemus.

Optime pergit Cornificius ad alia tria argumentorum genera, signum, argumentum, consecutionem. Quorum nullum apud Ciceronem invenitur, qui, cum totam coniecturalis constitutionis argumentationem causa, persona, facto diviserit, post *causam* argumenta *ex persona* profecta ponit (§§ 28—37), de quibus postea disputabimus, tum argumenta *ex facto* ipso repetita traditurum se pollicetur. Sed pessime Cicero exspectationem nostram fallit, nam revera non argumenta, sed locos, id est fontes argumentorum exponit inde a 12, 38; et ne nova quidem praecipit, sed ea, quae iam in libro primo 26, 37 sq. de attributis negotii dixit, fere ad verbum repetit. Quamquam autem ex his fontibus certe eiusmodi argumenta, qualia apud Cornificium exstant, duci possunt et ab illa materia argumentandi ratio proficisci debet, tamen hoc loco, in hac accurata coniecturalis constitutionis dispositione nihil valent; nam aliud est locus, unde argumentum sumitur, aliud ipsum argumentum, quod vel ex Cicerone ipso discimus I, 29, 4: *omnis autem argumentatio, quae ex iis locis, quos commemoravimus* (scilicet attributis personae et negotii) *sumetur, aut probabilis aut necessaria est.* Itaque illi loci non pro

dantur, inveniuntur, quae his respondeant, et quod ipsa verba *hoc loco caput illud erit accusatoris*, ut monet Kiesslingius, novum inferri indicant.

ipsis argumentis iterari debent. Quod autem Cicero II 3, 11 perfectam hanc argumentandi rationem *locos* appellavit, id suo Marte fecit; at apud Graecos *τόπος* vox sollemnis est, quae certe semper id solum significare potest, unde sumatur, nunquam, quod sumitur; cf. Aristotelem in rhetoricorum primo I, p. 1358 b 30 *καὶ ἐνταῦθα διαιρετέον τῶν ἐνθυμημάτων τά τε εἴδη καὶ τοὺς τόπους ἐξ ὧν ληπτέον, λέγω δὲ εἴδη μὲν τὰς καθ' ἕκαστον γένος ἰδίας προτάσεις, τόπους δὲ τοὺς κοινοὺς ὁμοίως πάντων*, atque in altero libro p. 1397 non certas ad unumquodque *εἶδος* pertinentes argumentationes *τόπους* vocat, sed omnium communes. Apertissime autem res intelligitur ex Ciceronis topicis, imprimis legas verba II, 7 et 8 *ut igitur earum verum* seqq. . . . . . .; porro, cum rei natura secum ferat, ut primum materia illa locorum in praecipiendo praemittatur, tum hinc certae argumentationes deducantur, qui potuit recte Cicero in uniuscuiusque generis exponenda argumentatione solos locos illos describere? Hoc ferri nequit — sed, ut magis perspiciatur, et qua ratione argumenta Cornificiana cum illis fontibus argumentorum cohaereant et quam vitiose a Cicerone ad constitutionis coniecturalis praecepta adiuncta sit ista arida materia, etiam hic singula comparanda putavi atque singulis Cornifici argumentis attributorum negotii partes, quas enumerat Cicero, opposui.

Cornif. II, 4, 7: *Signum est, per quod ostenditur idonea perficiendi facultas esse quaesita. Id dividitur in partes sex: locum, tempus, spatium, occasionem, spem perficiendi, spem celandi.*

Huc pertinet alterum genus attributorum negotii Cic. II, 12, 39: *Deinde ipsius est negotii gestio pertractanda. Nam hoc genus earum rerum, quae negotio sunt attributae, secundo in loco nobis est expositum* (I, 26, 38 sq.). *Hoc ergo in genere spectabitur locus, tempus, occasio, facultas, quorum uniuscuiusque vis diligenter in confirmationis praeceptis explicata est. Quare, ne aut hic non admonuisse aut*

ne ***eadem iterum*** *dixisse videamur, breviter iniciemus, quid quaque in parte considerari oporteat.*

Cornif.: ***Locus*** *quaeritur,* ***celebris*** *an* ***desertus****, semper desertus an tum, cum id factum sit,* ***sacer*** *an* ***profanus****,* ***publicus*** *an* ***privatus*** *fuerit,* ***cuiusmodi loci attingant****, num, quod est factum, perspectum, exauditum esse possit.*

Cornif.: ***Tempus*** *ita quaeritur: qua parte anni, noctu an interdiu, qua die, qua noctis hora factum esse dicatur, et cur eiusmodi temporibus.*

Quoniam haec quidem de loco et tempore in altero libro, *ne idem dixisse videatur* (quod alibi non veritus est facere), breviter tantum Cicero attigit, apposuimus verba ex primo libro 26, 38:

Locus consideratur, in quo res gesta sit, ex opportunitate, quam videatur habuisse ad negotium administrandum. Ea autem opportunitas quaeritur ex magnitudine, intervallo, longinquitate, propinquitate, ***solitudine, celebritate****, natura ipsius loci et* ***vicinitate totius regionis****; ex his etiam attributionibus:* ***sacer*** *an* ***profanus****,* ***publicus*** *an* ***privatus****, alienus an ipsius, de quo agitur, locus sit aut fuerit.*

Cic. I, 26, 39: *Tempus autem est pars quaedam aeternitatis, cum alicuius annui, menstrui, diurni nocturnive spatii certa significatione . . . .*

(2) *Consideratur autem tempus et anni et mensis et diei et noctis et vigiliae et horae et in aliqua parte alicuius horum . . . .*

Spatium ita consideratur: satisne longum fuerit ad eam rem transigendam et scieritne, satis ad id perficiendum spatii futurum, nam parvi refert satis spatii fuisse ad id perficiendum, si id ante sciri et ratione provideri non potuit.	(1) *Et item communiter in tempore perspiciendo longinquitas eius est consideranda. Nam saepe oportet commetiri cum tempore negotium et videre, potueritne aut magnitudo negotii aut multitudo rerum in eo transigi tempore.*

In his proximis de tempore Cicero nimium sapiens *tempus* et *spatium* in unum contraxit, nam verba *et item communiter in tempore perspiciendo longinquitas eius est consideranda* etc. . . . . . significant id quod spatium apud Cornificium. Praeterea videtur ex ingenio suo addidisse aut ex alio fonte adiecisse accuratam illam temporis definitionem: *tempus autem est pars quaedam aeternitatis* . . . ., nam repetuntur parum recte certae temporis significationes: *cum alicuius annui, menstrui, diurni nocturnive spatii certa significatione,* cum infra dicat: *consideratur autem tempus et anni et mensis et diei* etc. — De occasione tam pauca dicit Cornificius et tam diversa a Cicerone, ut comparari nequeant. Tum sequitur apud Ciceronem facultas, quae apud Cornificium non pars alicuius generis est, sed latiorem vim habet et idem quod *signum* est, nam *signum est, per quod ostenditur idonea perficiendi facultas esse quaesita.* In primo libro attributis iis, quae ad ipsam gestionem negotii pertinent, *modus* additus erat, quem hic consulto omisit, cum sentiret, si posuisset, fore, ut in difficultates implicaretur, nam in eo quaeritur, quo animo factum sit, utrum prudentia an imprudentia, iracundia, amore ceteris gestum sit. Quae omnia cum iam in *causa* tractata essent, cui bono hoc loco repeteret? Sed etsi omisit, ex hac ipsa re apparet, quam male omnia illa ex libro primo in alterum transtulerit. Quod ipse quodammodo sensit, cum ne omnia verbotenus repetat caveat (40) et summam uniuscuiusque partis breviter tantum indicet,

qua in enumeratione perverse fecit, quod in *tempore* longinquitatem spectandam esse dixit. Nam praeter longinquitatem, quod est spatium apud Cornificium, etiam tempus per se spectatur, et illa longinquitas non semper, sed *saepe*, ut ait ipse I, 39, consideratur. *Signo* etiam spem perficiendi et spem celandi subiecit, de quibus vide, quae infra dixerim.

Proximum genus apud Cornificium *argumentum* est. *Argumentum est, per quod res coarguitur certioribus argumentis et magis firma suspicione. Id dividitur in tempora tria: praeteritum, instans, consequens; in praeterito tempore oportet considerare, ubi fuerit, ubi visus sit*, etc. . . . . Sequitur accurata singulorum argumentorum enumeratio; hoc genus graece dicitur τεκμήριον (cf. Aristot. rhet. I p. 1357 b, Quintil. V, 9, 3). Cum hoc genere ex Ciceronis locis sive attributis comparari possunt *continentia cum ipso negotio, quae ab re separari non possint. Quo in loco satis erit diligenter considerasse, quid sit ante rem factum, ex quo spes perficiendi nata et faciendi facultas quaesita videatur, quae in ipsa re gerenda, quid postea consecutum sit.*

Eadem, breviora vero, I, 26, 37 exstant: *deinde ante gestam rem quae facta sint continenter usque ad ipsum negotium; deinde in ipso gerendo negotio quid actum sit; deinde quid postea factum sit.* Sed ea, quae illic addita sunt, ab ipso Cicerone addita sunt: *ex quo spes perficiendi* etc. . . . . *videatur*, nam perverse addita sunt; quid enim facultas hoc loco sibi vult, de qua ante inter ea attributa, quae in ipsa gestione negotii versantur, dictum est, cum hic de ipsius facti indiciis agatur?

Quod vero iubet satis futurum esse *diligenter considerare, quid sit ante rem factum* etc. . . . ., nobis non sufficit; nam scire volumus, qualia sint illa, quae ante rem gesta sint, nam illa, quae in primo libro dicta sunt, etiam sine Ciceronis admonitione scimus. Nonne vides, quam male sit haec ratio praecipiendi?

Proximum Cornifici argumentum est consecutio. *Consecutio est, cum quaeritur, quae signa nocentis et innocentis consequi soleant. Accusator dicet, si poterit, adversarium, cum ad eum ventum sit, erubuisse, expalluisse, titubasse, inconstanter locutum esse, concidisse, pollicitum esse aliquid, quae signa conscientiae sunt* . . . . .

Huius generis elementa quamquam vix inveniri posse videntur in Ciceronis attributis negotii, tamen vestigium exstat inter ea, quae negotii *adiuncta* vocantur a Cicerone II, 12, 41: *Deinde videndum est, quid adiunctum sit negotio, hoc est, quid maius, quid minus, quid aeque magnum, quid simile, ex quibus coniectura quaedam ducitur, si, quemadmodum res maiores minores, aeque magnae similes agi soleant, diligenter considerabitur. Quo in genere eventus quoque videndus erit, hoc est, quid ex quaque re soleat evenire, ut metus, latitatio, titubatio, audacia.* Quae sumpsit ex libro primo 27, 41: *Adiunctum negotio autem id intelligitur, quod maius et quod minus et quod aeque magnum et quod simile erit ei negotio, quo de agitur, et quod contrarium et quod disparatum, et genus et pars et eventus . . . . . eventus est exitus alicuius negotii, in quo quaeri solet, quid ex quaque re evenerit, eveniat, eventurum sit. Quare hoc in genere, ut commode, quid eventurum sit, ante animo colligi possit, quid quaque ex re soleat evenire, considerandum est, hoc modo: ex adrogantia odium, ex insolentia adrogantia.*

Sine dubio Cicero opinatus est eventum idem esse atque consecutionem, ut apparet ex exemplis, quae eventu subicit, *metus, latitatio, titubatio, audacia.* (Nam *laetitia* ex *latitatio* corruptum esse collato Quintiliano VII, 2, 46: *insequentis* (scil. temporis) *latitatio metus similia* verisimillimum puto, praesertim cum latitatio hominis, qui facinus quoddam commisit, magis proprium sit quam laetitia et facilius indicium facti fiat[24]). Accedit, quod vox sollemnis

24) Quamquam haud negaverim interdum fieri, ut, qui facinoris

apud iuris consultos fuisse videtur (cf. Digesta 42, 4, 7). Exempla illa autem simillima sunt iis, quae Cornificius in *consecutione* ponit. Tamen in primo libro longe alia exempla habet, et re vera consecutio aliud quam eventus est, nam consecutio semper debet indicium facti cuiusdam esse, eventus non item. Itaque Cicero, qui optimae Cornifici doctrinae attributa negotii praetulit, falso cum consecutione eventum confundit. Fuit certe refugium quoddam haec ratio, ut aliquod ex hac parte attributorum haberet, quod argumenti instar esset [25]). Nam cetera adiuncta negotii vix apte ad hanc argumentationem coniecturalem adhiberi possunt; quae enim, ut hoc probet lectori, addit Cicero: *ex quibus coniectura quaedam ducitur, si, quemadmodum* etc. satis infeliciter temptavit, nam hoc argumentum interrumperet probationem facti, cum ea, quae ad ipsum factum evincendum valerent, continentia cum negotio (ante rem, in re, post rem), dirimerentur ab eventu, qui cum iis proxime cohaereat, exteriore illa probatione ex similibus aut maioribus aut minoribus rebus, quae non ad ipsum factum pertineant, interposita.

---

conscius sit, laetitiam prae se ferat, sed quid soleat evenire, non quid raro fiat, oratori praecipitur. Praeterea laetitia inter metum et titubationem vix locum habet.

25) In Ciceronis partitionibus oratoriis 114 haec argumenta ex consecutione cum argumentis *post rem*, quae in libris de inventione inter attributa cum ipso negotio continentia exstant, coniuncta sunt (argumenta ante rem et in re neglegenter omissa esse videntur), ut facile aliquis suspicari possit re vera consecutionem non dirimendam esse ab illis argumentis post rem, et falso Cornificium separatim haec tradidisse; sed hac ipsa re praestantia et consilium Cornificianae rationis egregie illustratur; nam longe alia ratio est consecutionis, qua nihil nisi verisimilis suspicio quaedam efficitur, et argumentorum necessariorum, *per quae res coarguitur*. Si enim aliquis cum eo, qui paulo post occisus invenitur, visus est vel cruor in vestimentis eius paulo post factum conspectus est, haec multo graviora et firmiora argumenta sunt quam si quis post factum a quodam appellatus expalluit. Quare illa graviora argumenta cautus accusator ab his levioribus secernet.

Hic subsistamus, nam adprobationem, sextam partem rationis Cornificianae, cum non iisdem difficultatibus implicata sit atque ea, quae adhuc tractavimus, postea considerabimus. Intelleximus Cornifici *probabile,* id est *causam* et *vitam* etiam apud Ciceronem eadem ratione tractata, quin etiam ex eodem fonte latino repetita esse. Unde etiam conlationem videbatur sumpsisse et falso in *causam* inculcasse, nam nomen ipsum conlationis non curavit. Adhuc igitur doctrina ea, quam Cornificius praebet, utitur, tum vero ipse induxit personae et facti attributa ex primo libro atque, ut cum causa conlationem, ita cum *persona vitam* conglutinavit. Ac facti quidem attributa quam male in locum argumentorum eorum, quae apud Cornificium *signo, argumento, consecutione* comprehenduntur, substituerit, vidimus. Eodem autem modo, quae de persona dicit, ut breviter ea absolvamus, nihil sunt nisi molesta repetitio materiae illius in primo libro traditae (I, 24, 34 seqq. = II, 9, 28 seqq.), paucis quibusdam et levissimis additamentis auctae, ut illa sunt de cognomine inficeta. Habemus igitur ex altera parte attributa personae et negotii, de quibus ipse I, 34 dicit: *Verumtamen non incommodum videtur quandam silvam atque materiam universam ante permixtim et confuse exponere omnium argumentationum, post autem tradere, quemadmodum quodque causae genus hinc omnibus argumentandi rationibus tractis confirmari oporteat.* Sed, ut iam supra diximus, non solvit, quod promisit; neque enim argumenta hinc traxit in coniecturalem constitutionem, sed permixtam et confusam silvam iteravit. Et quae sufficere debebant ad omnia omnium causarum argumenta efficienda (quod disertis verbis dicit I, 24, 34 *omnes res confirmantur aut ex eo, quod personis, aut ex eo, quod negotiis est attributum*), nunc ne ad unam quidem coniecturalem constitutionem sufficere duxit. Nonne haec vehementissime inter se pugnant? Cur non *causam* etiam ex attributis personae

et negotii sumpsit? Cum enim per se iam consentaneum sit omnia illa argumenta ex alia disciplina a Cicerone hausta re vera in illa materia de personae et negotii attributis contineri iam et inde nata et profecta esse, tum inde potissimum intelligitur, quod, ut nunc a Cicerone res diversae conglutinatae sunt, nonnulla inepte iterantur. Nam cum vita ex ante factis spectetur, ut in libro altero 32 Cicero dicit, nonne supervacanea sunt *facta* (*casus*, *orationes*) in personae attributis (31)? Item *causa* re vera iam inter attributa negotii exstat, ea videlicet, quae cum ipso negotio cohaerent I, 37: *deinde causa eius summae, per quam et quam ob rem et cuius rei causa factum sit, quaeritur.* Sed hic nos effugit homo callidus et consulto haec in altero libro (39) omittit et ait satis esse diligenter considerasse, quid sit ante rem factum etc. Omissis ceteris, quae in primo libro addita erant, tamen non omnia delevit vestigia, quibus eum convincere possimus, nam inter personae attributa oblitus est omittere[26]) *adfectionem*, quae proprie est altera pars *causae*, scilicet impulsio, ut supra vidimus. II, 30 *nam adfectionis quidem ratio perspicuam solet prae se gerere coniecturam, ut amor, iracundia*[27]), *molestia* etc. conferas velim cum II, 17 *causa tribuitur in impulsionem et ratiocinationem, impulsio est, quae sine cogitatione per quandam adfectionem animi facere aliquid hortatur, ut amor, iracundia, aegritudo, vinolentia* etc.[28]).

---

26) *Molestiam* demum ex altero libro intelligimus, ubi *aegritudo* vocatur, nam facinus facilius aegritudine quam molestia committitur. Utrumque ex graeco λύπη videtur translatum esse, atque fortasse altero loco non ipse hoc correxit, sed ex latino Cornifici auctore sumpsit, quo etiam in *causa* eum usum esse supra suspicati sumus. Cornificius, quem in causa brevissimum esse vidimus, tantum primum ex adfectibus illis, amorem, affert II, 2, 3, ceteras summatim indicat.

27) Hoc iam Badero p. 25/26 offensionem praebuit, sed non explicandi et inquirendi occasionem.

28) Ceterum commemoratione dignum est, totam illam materiam

Reliquum est, ut exponamus, quibus causis adductus Cicero res diversissimas tali, quali demonstravimus ratione confuderit itaque congeriem effecerit futilem atque inutilem. Habuisse eum ante oculos Cornifici fontem certum est. Cuius doctrina ei non placuisse videtur; nam cum aliunde novisset et in primo libro exposuisset materiam illam attributorum personae et negotii, haec in coniecturalis potissimum constitutionis praeceptis desiderasse videtur; sic enim haud scio an cogitaverit studiosissimus, sed in his rebus parum perspicax adulescens Marcus Tullius: quid? cum in coniecturali constitutione quaeratur, num quid factum sit ab aliquo, ei, qui causam coniecturalem tractat, nonne imprimis illius, qui fecisse arguitur, persona, tum negotium ipsum (graece *πρόσωπον* et *πρᾶγμα*) intuendum est? Et recte ita quidem disputare potuit, sed non intellexit, quid inventores artis rhetoricae voluerint, neque perspexit, artificiosam illam, quam habemus apud Cornificium doctrinam, et ipsam hausisse eos ex attributorum illorum materia, neque ex iisdem quasi elementis constare illa *τοπικά* et haec perfecta et apta ad dicendum argumenta cognovit. Quae cum secernere non posset, temere commiscuit. Itaque divisit praecepta coniecturalis constitutionis in argumenta ex persona et ex re ipsa vel facto ducta; sed non ipsa argumenta protulit, verum, ut vidimus, solam illam silvam repetivit. His omnia cetera contineri putabat praeter causam, cum ei causa facti neque in persona neque in ipso facto exstare videretur. Quare eam ex alia doctrina supplevit et II, 5, 16 hanc proposuit rationem: *omnis igitur ex causa, ex persona, ex facto ipso coniectura capienda est.* Quae quam falsa sit, satis exposuimus. — Sed haec confusio Ciceroni nondum sufficit,

---

de negotii et personae attributis a Cicerone ex graeco quodam scriptore translatam esse, quod inde sequitur, quod ad attributum nationis tale exemplum additur II, 35: *Graius an barbarus*, quod vix homo Romanus Cicerone adulescentulo severior docuisse putandus est.

et aliam statim insuper addit. Postquam enim II, 12, 38 hoc proposuit: *ex facto autem ipso suspiciones ducentur, si totius administratio negotii ex omnibus partibus pertemptabitur; atque eae suspiciones partim ex negotio separatim, partim communiter ex personis atque ex negotio proficiscentur*, iam 13, 42 post attributa negotii alteram partem aggreditur: *Sunt autem aliae suspiciones, quae communiter et ex negotiorum et ex personarum attributionibus sumuntur. Nam et ex fortuna et ex natura et ex victu, studio, factis, casu, orationibus, consilio et ex habitu animi aut corporis pleraque pertinent ad easdem res, quae rem credibilem aut incredibilem facere possunt et cum facti suspicione iunguntur. Maxime enim quaeri oportet in hac constitutione, primum potueritne aliquid fieri* . . . . (et quae sequuntur usque ad paragraphi 44 verba *quae personis sunt attributa*).

Habemus hic novam argumentorum seriem, cuius proprium esse affirmat Cicero, quod communiter ex persona et negotio argumenta ducantur, cuius autem nobis proprium videtur, quod cum eis, quae antecedant, non coniungenda sunt et perverse ad cetera Ciceronis praecepta adnexa sunt. Nam, quae adhuc in coniecturalem constitutionem praecepit, ei non sufficere videntur, quare addit haec alia, quae ex personis et negotiis communiter proficiscantur quaeque praeter illa sine dubio in coniecturali argumentatione adhiberi vult. Atque quicunque ea, quae 38 dixit, legerit, iam eum pergere velle et eam quam adhuc tradiderit, doctrinam continuare et amplificare velle putabit. — Sed ipsam hanc novam seriem considerantibus mirum certe videri debebit, quod nonnulla praecepta iam in superiore parte coniecturalis constitutionis probationis usu venerunt. Primum *facultas*, de qua ante dixisse se Cicero ipse confitetur. Ibi autem (II, 12, 40 et I, 27, 41) inter attributa negotii exstabat, hic inter argumenta communiter ex negotio et personis sumpta, ergo dupliciter adest, quod in una eademque coniecturalis constitutionis dispositione

absurdum est. In hac, quam nunc tractamus, serie idem valet quod apud Cornificium *signum*. — Deinde *necessitudo*, de qua haec dicit: *Necessitudo, num qua necesse fuerit id aut fieri aut ita fieri, quaeritur; quorum pars ad consilium pertinet, quod personis attributum est, ut illa in causa, quam exposuimus: ante rem, quod in itinere se tam familiariter adplicaverit, quod sermonis causam quaesiverit, quod simul diverterit, dein cenarit; in re: nox, somnus; post rem, quod solus exierit, quod illum tam familiarem tam aequo animo reliquerit, quod cruentum gladium habuerit. — Rursum, utrum videatur diligenter ratio faciendi esse habita et excogitata, an ita temere, ut non verisimile sit quemquam tam temere ad maleficium accessisse. In quo quaeritur, num quo alio modo commodius potuerit fieri vel a fortuna administrari* . . . . Nonne haec tria tempora ante rem, in re, post rem quae facta sint, iam inter attributa negotii legimus? Profecto, atque sine dubio haec eadem sunt, quae apud Cornificium *argumentum* κατ' ἐξοχήν vocantur, *per quod res coarguitur certioribus argumentis et magis firma suspicione. Id dividitur in tria tempora: praeteritum, instans, consequens* etc. (II, 5, 8), ergo etiam haec supervacanea sunt apud Ciceronem (aut potius illa ex negotii attributis). — Porro si legimus inter Ciceronis argumenta *ecquo ab alio potuerit*, nonne in mentem venit nobis *conlationis* quae a Cornificio vocatur? Sed eadem latebat apud Ciceronem II, 24, quod accuratius supra exposuimus; ergo etiam hoc bis dictum est. Sunt autem, ut verum confiteamur, omnia haec argumenta, quae communiter ex persona et ex negotio repetita dicuntur, nihil aliud nisi propria dispositio constitutionis coniecturalis et ex separato fonte profecta, quae sola per se fere sufficeret ad coniecturales causas tractandas, sed cum superaddatur, rem duplicat et conturbat. Differt autem haec ratio, etiamsi singula consentiant, gravissime ab iis, quae antecedunt. Nam haec non confusa materia attributorum et

argumentorum, sed ordo argumentorum est a levioribus ad graviora gradatim ascendens, ut apud Cornificium. Quare hunc ex alieno fonte, ubi certe copiosior erat et singulis praeceptis refertus, a Cicerone adiunctum esse puto. Sed etiam haec Cicero stultitia sua tinxit. Cum enim ne in his quidem commemorationem personae et negotii inveniret, finxit sibi differentiam inter haec et cetera eam esse, ut illa — quod nemo negabit — separatim personam et negotium haberent, haec communiter ex utroque genere proficerentur; quod cum non primo aspectu unicuique credibile sit — et profecto in hoc differentiam versari nemo credet — *necessitudinis* exemplo etiam personam in his latere demonstrat: *Quorum pars ad consilium pertinet, quod personis attributum est, ut illa in causa, quam exposuimus: ante rem, quod in itinere se tam familiariter adplicaverit, quod sermonis* etc. . . . . *gladium habuerit. Horum pars ad consilium pertinent.*

Sed quamvis scite hoc sibi excogitasse videatur, prima pars argumenti ex necessitudine, scilicet ea, quae *ante rem* vocantur, tamen ad eandem rationem redit atque illud, quod supra ad continentia cum negotiis, quae his respondent II, 12, 39, addidit: (*quid sit ante rem factum*), *ex quo spes perficiendi nata et faciendi facultas quaesita videatur.*

Ut enim ibi facultatem et spem perficiendi falso inlatas esse iudicavimus, ita etiam hic perspicuum est non in consilio explorando vim argumenti *ex necessitudine* versari, sed a Cicerone, ut *personam* huc referret, in hac potissimum re vim et summam eius argumenti poni, et similitudo utriusque rei utramque probat. Confirmatur denique res vel inde, quod statim aliud vitium committit; cum enim hoc ipsum argumentum ad exemplum, quod supra praemisit de caupone, accommodare studet, argumento *in re* subicit *nox, somnus.* Quomodo autem nox et somnus pro facti indiciis esse possunt, quid in iis inest

necessituduis? Nihil profecto, immo ad facultatem pertinent, ad tempus idoneum et occasionem bonam, de quibus supra (40) dixit. Ergo ne vim quidem horum argumentorum intellexit, sed cum in narratione causae supra expositae nihil dictum esset de iis, quae in ipsa re percepta essent, ut sonus, clamor, crepitus talia (cf. Cic. topica 52), ipse adfingere coactus male finxit. — Singula deinceps argumenta non accuratius ait tractare se velle, *cum neque facile sit neque necessarium, propterea quod causa posita quid in quamque conveniat, res ipsa docebit eos, qui non omnia hic se inventuros putabunt, si modo quandam in commune mediocrem intellegentiam conferent.* Nonne mirum, quod hic demum, non ante iam tam prudenter iudicavit? Fere una pagina totam absolvisset coniecturalem constitutionem et omnes difficultates effugisset. Cur nunc subito brevitatis studiosus fis, Marce Tulli, cum supra personae attributa ad verbum ex primo libro iterare non veritus sis? Sed vera causa, cur hoc loco excusationem addiderit, cur non singula explicaret, alia est; sentiebat enim sine dubio, si etiam singula ex fonte suo reddere vellet, multa ex iis, quae ante accuratius exposuisset, ei repetenda esse. Quo timore commotus omittere maluit. — Item non exspectata et ab iis, quae antea tradidit, aliena sunt, quae iam capite XIV inde a verbis: *quare considerare haec, quae exposuimus* etc. . . . . profert; quamquam enim, ait, ea, quae adhuc exposuerit, consideranda sint, tamen invenienda in uno quoque causae genere esse argumenta ea ratione, ut aut ex adversarii narratione aut ex ea re gesta, quam ipse accusator narrare et tractare velit, consideranda et perquirenda proficiscantur. Atque per se quidem rectissime hoc ab eo monitum est; nam si illa sola, quae apud Cornificium et ex parte apud ipsum Ciceronem, argumenta valerent: causa, vita, conlatio, signum, argumentum, consecutio, adprobatio quaeque his subiciuntur, omnes certe orationes, quae coniecturali quaestione uterentur, ad nimis

certam normam atque regulam elaborarentur et nimis parem consimilemque speciem praeberent, parum causae cuiusque proprietatem et oratoris ingenium redolerent. Quod vitium illius doctrinae haec Ciceronis verba quasi occulte castigant, nam quid sibi velint verba in paragrapho 46 addita: *cum animus hac intentione omnes totius negotii partes considerabit, tum illi ipsi in medium conservati loci procedent, de quibus ante dictum est*, non intellego; nam si sua sponte procedent illi loci, cur omnino supra de iis expositum est? In his duae disciplinae inter se pugnant, quas conciliare studet Tullius adolescens, qui utramque perceperit. Tamen alteram hanc meliorem vix ad auctorem graecum quendam revocabimus [29]), ita enim quivis fere Romanus homo sentiebat, et si nondum ipse ad tantam iudicii tum libertatem processerat, certe ex maiorum natu virorum usu atque eruditione hanc sententiam proferre potuit. — Nunc redeundum est ad eorum argumentorum ordinem, quae communiter ex negotio et persona ab eo perfecta esse dicuntur, cuius similitudinem quandam cum Cornifici ordine (probabile, conlatio, signum etc.) iam supra indicavimus. Sed in ea potissimum re consentiunt, quod uterque ordo cum

---

29) In libris de oratore eum hoc solum Antoniorum Crassorum iudicium sequi videmus, qui scientiam facultatem ingenium oratoris omni artificio praestare putabant. Ad ipsa autem haec accurata et nimis anxiis finibus circumscripta uniuscuiusque constitutionis argumenta referenda sunt nobilissima illa in altero libro verba (117): *Atque isti quidem, qui docent, cum causas in plura genera secuerunt, singulis generibus argumentorum copiam suggerunt. Quod etiamsi ad instituendos adulescentulos magis aptum est, ut, simulac posita causa sit, habeant, quo se referant, unde statim expedita possint argumenta depromere, tamen et tardi ingenii est rivulos consectari, fontes rerum non videre, et iam aetatis est ususque nostri a capite quod velimus arcessere et unde omnia manent videre* (cf. simillima infra 175). Maxime autem haec iis illustrantur, quae in Bruto de Hermagorae doctrina dicit (263 et 271), de quibus alia occasione accuratius disputabimus.

gradatione quadam a levioribus ad graviora transit. Ut autem singula comparemus, argumentum *potueritne aliquid fieri* apud Cornificium quidem non exstat, sed in fonte eius hoc iam infuisse persuasum habeo propterea, quod *conlatio* ex duabus partibus constat (II, 4, 6), primum *alii nemini nisi reo bonum fuisse,* tum *alium neminem potuisse perficere, nisi adversarium.* Cum autem prima pars respondeat quodammodo *causae* — primum enim causam fuisse reo demonstratur, tum nemini alii causam fuisse (ut item apud Ciceronem II, 24) — desideramus argumentum, quod alteri parti respondeat *neminem alium potuisse,* id est argumentum ex potestate sumptum. Quare existimo apud Cornifici auctorem (vel omnino apud huius doctrinae auctorem) exstitisse argumentum huiusmodi: *num potuerit fieri.* — Quod sequitur apud Ciceronem *ecquo ab alio potuerit,* conlationi respondere iam scimus. Facultas deinceps idem est quod *signum* apud Cornificium. Ibi *dividitur in partes sex: locum, tempus, spatium, occasionem, spem perficiendi, spem celandi. Spes celandi* apud Ciceronem non cum facultate coniuncta est, sed propriam efficit partem, eam, quae statim sequitur: *deinde ut non id facinus sit, quod paenitere fuerit necesse, quod spem celandi non haberet.* Utra ratio melior sit, quaeritur. Nonne autem perspicuum, locum, tempus, spatium, occasionem per se nihil commune habere cum spe celandi et perficiendi? Aut qui possunt ad idem genus referri, cum spes celandi et ipsa saepe nitatur in loco, tempore similibus, cum denique spes perficiendi pendeat ex iisdem, quod ipse confitetur Cornificius, cum dicit: *spes perficiendi quae fuerit spectabitur hoc modo; si, quae supra dicta sunt signa, concurrent, si praeterea . . . . . .* Quare melior et prior ratio et vetustior debet ea esse, quae *spem celandi* separet a *facultate.* Necessitudinem iam antea cum *argumento* Cornificiano contulimus. Postrema pars *rursum, utrum videatur diligenter ratio faciendi esse habita et excogitata, an ita temere* etc.

nihil sui simile apud Cornificium habet. Differentia igitur inter utrumque ordinem haec est:

	Cornificius II, 1, 3.	Cicero II, 13, 43.
	(num potuerit fieri)	potueritne aliquid fieri
probabile	causa	(num voluerit reus)
	vita	— — —
conlatio	alii nemini bonum	(num alius voluerit)
	neminem alium potuisse	ex quo ab alio potuerit
signum	locus, tempus, spatium, occasio	facultas
	spes perficiendi	— — —
	spes celandi	utrum id facinus sit, quod paenitere fuerit necesse, quod spem celandi non haberet
	argumentum	necessitudo
	praeteritum	ante rem
	instans	in re
	consequens	post rem
	consecutio	— — —
	— — —	rursum, utrum videatur diligenter ratio faciendi esse habita etc. . . . . . .

Quae uncis inclusi, ipse adfinxi, nam certe ex utroque ordine pristina huius doctrinae forma restituenda est. —

Cum iam una ex parte — dico facultatem — suspicati simus Ciceronis doctrinam simpliciorem et vetustiorem formam servasse, iam accuratius in hanc rem inquiremus. Qui enim omnino fieri potuit, ut apud Cornificium tam diversae res — spes celandi et perficiendi atque locus, tempus, spatium, occasio coniungerentur? Profecto non

alio modo, nisi quod communem quandam inter utrumque rationem invenit aliquis, ut uni generi subiungerentur. Vocantur autem apud Cornificium communi nomine *signum*; debent igitur alicuius rei signum esse. Et recte ita appellari possunt eo sensu, ut signo sit, reum crimen in se admisisse, si ei praesto fuerunt locus, tempus, occasio, si habuit spem celandi et perficiendi. Potest ita intelligi, tamen est, in quo offendamus. Nam *signum* (σημεῖον) vocabulum sollemne est apud rhetores et alias longe aliud [30]) quam hoc loco significat. Cf. Anaximenes, ars rhetorica, c. 12 p. 35, 22 Speng. p. 1430 b, 30 Bekk.: *σημεῖον δὲ ἐστὶν ἄλλο ἄλλου οὐ τὸ τυχὸν τοῦ τυχόντος οὐδ' ἅπαντος, ἀλλά τό γε εἰθισμένον γίνεσθαι πρὸ τοῦ πράγματος ἢ ἅμα τῷ πράγματι ἢ μετὰ τὸ πρᾶγμα κτλ.* Cic. de inv. I, 30, 48 *Signum est, quod sub sensum cadit aliquem et quiddam significat, quod ex ipso profectum videtur, quod aut ante fuerit aut in ipso negotio aut post sit consecutum* etc. . . . . . (si placet, conferas praeterea Aristot. rhetor. I, 2, 1357 a 30 et Hermagoram apud Quintilianum V, 9, 12).

Ergo apparet apud Cornificium sensu non sollemni, sed insolito usurpatum esse. Quare certum quendam ad finem et certa quadam de causa ab hac solita significatione recessum esse suspicor, propterea videlicet, ut haec diversa genera argumentorum — locus, tempus etc. ab altera parte, ab altera spes celandi et spes perficiendi — communi vinculo et nomine coniungerentur. Quodsi aliam doctrinam habemus, in qua, quamquam signi nomen non adest, eaedem res praecipiantur, non coniunctim, sed separatim, nonne apparet, illam esse priorem rationem, postea autem argumenta illa a quodam homine communi nomine donata esse?

Quod si intelleximus, iam eo adducimur, ut opinemur idem factum esse in *causa* et *vita* (quamvis non in ista doctrina Ciceroniana exstent), quibus commune nomen pro-

---

30) Plane idem est quod apud Cornificium *argumentum* κατ' ἐξοχήν.

babile = *εἰκός* inditum est. Atque in hoc quidem melius egit quam in priore ille *διασκευαστής*, nam et re vera sunt probabilia et causa et vita, et rhetores vetustos imitatus est, nam apud Anaximenem (cap. 6), quem locum iam contulit Spengel in commentario suo, causa et ante facta probabili = *εἰκότι* subiunguntur. — Simile porro factum est in conlatione, nam argumentum illud *ecquo ab alio potuerit* cum alio coniunctum est *aut eum ipsum aliis rationibus aut non potuisse aut non aeque commode potuisse aut eum fugisse illas alias rationes propter cupiditatem.* Quod natura sua longe alienum est a priore, ut iam supra vidimus. Ibi ab ipso Cornificio falso inculcatum putaveramus, nunc docemur ab isto *διασκευαστῇ* factum esse, qui, ut unicuique argumento certum quoddam nomen daret, studuit, similia vero communi nomine comprehendit. Sicut haec, de quibus modo diximus, coniunxit et *σύγκρισιν* nominavit, nam comparatur in utroque aliquid, sed in priore homo, in posteriore ratio faciendi [31]). Item necessitudinis argumentis, ut apud Ciceronem appellantur, nomen *argumentum* inditum est. Idem porro *διασκευαστής* ex hoc genere certam quandam partem seiunxit eamque *consecutionem* vocavit. Ita sibi paravit seriem argumentorum constitutionis coniecturalis certis nominibus ornatam, vetustiorem et simpliciorem rationem, quae apud Ciceronem exstat, reliquit. —

Omisimus adhuc sextam Cornificiani ordinis partem, adprobationem; de qua nunc demonstrabimus Ciceronem aliam doctrinam praebere quam Cornificium, sed iterum ab hoc, ut in superioribus partibus, non simplicem et vetustam doctrinam servatam esse, sed commutatam quandam et ad certum quendam finem in novam formam redactam.

---

31) Alterius argumenti vestigium fortasse adest apud Ciceronem II, 44: *in quo quaeritur, num quo alio modo commodius potuerit fieri vel a fortuna administrari.*

Adprobationi enim respondet apud Ciceronem locorum communium doctrina, de quibus ita disputat: *Omni autem in causa pars argumentorum est adiuncta ei causae solum, quae dicitur, ex ipsa ita ducta, ut ab ea separatim in omnes eiusdem generis causas transferri non satis commode possit; pars autem est pervagatior et aut in omnes eiusdem generis aut in plerasque causas accommodata. Haec ergo argumenta, quae transferri in multas causas possunt, locos communes nominamus* etc. . . . . . (II, 15, 48). Apud Ciceronem igitur exstat ea de locis communibus doctrina, quam omnes nos novimus et agnoscimus, id est, locum communem esse argumentum vel *orationem* (λόγος), quae in multas causas transferri possit (causas, quod in his Ciceronis et Cornifici libris ad iudicia omnia fere referuntur), graece κοινὸς τόπος vocatur[32]).

Novum est apud Ciceronem, quod duo genera profert locorum communium, certos et dubios. Prius habet vim amplificandi, alterum in utramque partem ambigendi de aliqua re, ut in iudicio de testibus, de quaestionibus et huiusmodi rebus usu venit. Eandem differentiam affert Quintilianus II, 1, 11: *communes loci, sive qui sunt in vitia derecti, quales legimus a Cicerone compositos, seu quibus quaestiones generaliter tractantur, quales sunt editi a Quinto quoque Hortensio, ut, sitne parvis argumentis credendum, et pro testibus et in testes in mediis litium medullis versantur.*

Apud Cornificium contra communes loci hoc sensu omnino non intelleguntur, sed ea vis verbi communis est, ut accusatori et defensori communia sint quaedam argumenta, quibus uterque possit uti, iidem scilicet, qui apud

32) Verba, quae sequuntur apud Ciceronem 48: *ac pars locorum communium per indignationem aut per conquestionem inducitur, de quibus ante dictum est, pars per aliquam probabilem utraque ex parte rationem* utrum interpolata sint an a Cicerone male addita — nihil enim nisi repetitio sunt eorum, quae antecedunt — vix diiudicari potest.

Ciceronem dubii vocantur, pro testibus et contra testes et similia. His opponuntur proprii, quibus solus accusator uti possit, cum dicat exempli causa malorum misereri oportere et augeat peccati atrocitatem, quae altero Ciceronis genere continentur. Habemus igitur hic eadem genera locorum quae apud Ciceronem, sed alio modo appellantur ita, ut, cum apud illum totum genus loci communes vocarentur, partes generis dubii et certi essent, apud Cornificium mutata ratione altera pars communes, altera proprii dicantur [33]), totum genus autem communiter adprobatio, quae ultimum locum in tota serie argumentorum tenet. Qua ratione notam illam et solitam et bonam de locis communibus doctrinam invertit is, qui haec mutavit [34]). Quod facile aliquis ab ipso Cornificio errore quodam factum esse opinari possit, sed cum nomen adprobationis certe ab eodem, qui cetera argumentorum nomina addiderit, profectum sit, porro, cum adprobationis vis ea sit, ut in fine totius argumentationis ponatur, Cornifici autem et Ciceronis doctrinae etiam eo differant, quod Cicero alterum tantum genus, certos, in quibus amplificatio est, in fine poni iubet, Cornificius utrumque, verisimile fit omnia haec mutata esse ab eodem *διασκευαστῇ*, quem supra deteximus. Cicero autem etiam hic latinum doctorem reliquit et aliunde veram et bonam et non soli coniecturali argumentationi adaptatam doctrinam de locis communibus intulit et pluribus verbis in universum de locis communibus disputavit. —

Sed aliud etiam ex hac re discimus, quod permultum valet, hanc totam coniecturalis constitutionis argumentatio-

---

33) Aliam vim proprii loci habent Quintil. V, 13, 57. Cf. omnino de locis communibus Cic. de orat. III, 104—7.

34) Eadem opinio affertur a scholiasta Aphthonii rhet. gr. ed. Walz vol. II p. 32, 34, qui inter sententias, quae ad verbum κοινὸς τόπος explicandum prolatae sint a rhetoribus, commemorat: καὶ ὅτι οὐ μόνος ὁ διώκων ἐν τοῖς κατὰ κρίσιν ᾖ ἀξίωσιν αὐτῷ χρῆται, ἀλλὰ καὶ ὁ φεύγων. Sed hic opinio ista tantum ex studio vocabuli interpretandi nata videtur. (Loci notitiam debeo lexico Technol. rhet. gr. ab Ernestio confecti.)

nem apud Cornificium ex alia disciplina, ex alia arte rhetorica, ex alio fonte repetitam esse quam ceterarum constitutionum praecepta. Cum enim in coniecturali constitutione nova et inaudita de locis communibus doctrina prolata sit, in ceteris iam solitam et unice veram et eandem quam apud Ciceronem habemus doctrinam deprehendimus, nulla huius mutationis ratione reddita, et cum antea exposuerit Cornificius, locum communem esse, qui accusatori et defensori communis sit, iam in singulis ceteris constitutionibus certus locus communis accusatori tribuitur, certus defensori, sicut recte et secum consentiens Cicero facit, apud Cornificium autem haec ratio prior gravissime obstat, quae discrepantia ferri nequit. Evolvas quaeso II, 14, 22 in constitutione comparativa: *his ita tractatis accusator utetur loco communi in eum . . . . . ., defensor in eos . . . . . .,* tum 24 in concessione: *loci communes in his causis: accusatoris contra eum . . . . . ., defensoris de humanitate et misericordia* . . . . . . similiter II, 9, 13 in legitimae constitutionis parte.

Quae difficultas nulla re melius explicatur quam si duas inter se diversas doctrinas a Cornifici auctore coniunctas esse statuimus (nam ipsum non hoc commisisse, quoniam vidimus illam coniecturalis constitutionis dispositionem si non prorsus placuisse, at notam tamen fuisse Ciceroni, pro certo confirmare licet). Profligatur denique quaestio nostra ea re, quod in ceteris deinceps constitutionibus non solum aliam de locis communibus sententiam, sed plane dissimilem omnino praecipiendi rationem invenimus. Argumenta enim neque a Cicerone neque a Cornificio nusquam in certa dirimuntur genera certis appellationibus notata, sicut fit apud Cornificium, qui in coniecturali constitutione dividit in probabile, conlationem, signum etc. Sed simpliciter enumeratur, quid primo loco, quid altero dicendum sit; qua re fit, ut haec non tam praecepta, sed exempla esse videantur rhetorica, ut saepe vi-

vida orationis imago existat. Licet difficilior sit haec ratio in coniecturali constitutione, certa tamen nomina deesse possunt et desunt apud Ciceronem. Secundariam vero esse istam rationem certum unicuique argumento nomen dandi, quod supra probare studuimus, et per se consentaneum est et magis perspicuum fit respicientibus ad posteriores, dico Hermogenem et qui eum secuti sunt, apud quem in omnibus constitutionibus certa argumentorum nomina exstant, qua ratione id efficere studuit, ut non iam toti ordines argumentorum, sed singula e ceterorum ordine exempta adhiberentur. (Cf. Hermogenes *περὶ στάσεων* rhet. gr. ed. Spengel vol. II p. 153, 157, 161, similis ratio est Iulii Victoris Halm, rhetor. latin. min. p. 388 et 394.)

Similis est ratio figurarum rhetoricarum, quarum nomina sensim inveniebantur, res ipsae autem iam diu observatae erant, quid, quod, ut notissimo exemplo utar, personarum nomina multa in tragoediis a posterioribus grammaticis profecta sunt? —

Restat, ut, num forte ex aliis rhetoribus ad hanc doctrinam intellegendam quid adsumi possit quaeramus. Atque ex Graecis quidem Apollodori et Theodori disciplinam nondum satis cognitam habemus, postea vero Hermogenis adeo invaluit auctoritas, ut omnes priores simplicioresque disciplinae obruerentur; sed et in Ciceronis *partitionibus oratoriis* et apud Quintilianum similes coniecturalis constitutionis argumentationes exstant, unde tamen non ita multum discimus; quare harum rerum fontes primarii sunt et manebunt Cornifici et Ciceronis artes rhetoricae.

In *partitionibus* igitur invenimus simpliciorem quidem primo aspectu, sed non meliorem doctrinam (§ 110). Neque enim rhetorica et ad usum dicendi apta, sed theoretica, ut ita dicam, est. Distribuitur autem tota *coniecturalis* argumentatio in *causam* et *eventum*, ita, ut causa comprehendantur omnia, quae factum antecedunt (*causam*, ait, *appello rationem efficiendi*, *eventum*, *id quod est effe-*

ctum), eventu, quae consequantur, consequentia signa et vestigia. Acuta quidem, sed non tam utilis et ad causas dicendas habilis doctrina quam eae sunt, quas accuratius tractavimus. Est sane philosophica, ab Academicis excogitata, quibus Cicerone ipso teste has *oratorias partitiones* debemus [35]). Sed etiam hic sive sua sponte sive auctorem suum secutus in idem vitium decurrit, quod in libris de inventione reprehendimus. Nam sunt quaedam admixta vel interpolata, ut ita dicam, in ista de *causa* et *eventu* doctrina. 113: *His rebus facti suspicio confirmatur, cum et voluntatis in reo causae reperiuntur et facultas. In voluntate autem utilitas* ...... et tum fere eadem repetuntur, quae antea iam dixit 111—12. Sed quid omnino hic sibi vult voluntas? nam nihil aliud quam *causa* ipsa est; quare haec omnia de *voluntate* superflua et temere admixta sunt. —

Quintilianus vero VII, 2, 27 in plerisque Ciceronis libros de inventione adhibuit, tamen novam distributionem infert: *an voluerit*, *an potuerit*, *an fecerit* (scil. reus), primae parti tribuit argumenta ex persona, causa, consilio, alteri facultatem, tertiae signa indiciaque facti. Ac dixerit quispiam hac distributione vetustissimam argumentationis coniecturalis formam contineri, hanc simpliciorem et pulchriorem quam Ciceronis de argumentis communiter ex persona et negotio repetitis doctrinam esse, nam velle, posse, facere quasi facti cuiusque elementa esse. Sed caveamus, ne semper brevissima eadem vetustissima putemus; in rhetorices graecae historia res saepe alia est, nam, ut iam apparuit, simplex ista Academicorum doctrina de *eventu* et *causa*, ut philosophica, certe secundaria est; at Hermagoras, quem inventorem totius huius doctrinae esse alibi demonstrabo, nunc affirmo, tam accurata et singillatim distributa praecepta excogitavit, ut posterioribus non tam

---

35) In fine *partitionum* 139.

augenda quam deminuenda esse viderentur; quid, quod ex quattuor eius constitutionibus, ut supra vidimus, tres fecerunt? Haec igitur omnia accuratissime perpendere et diiudicare debebit is, qui Hermagorae artem rhetoricam restituendam susceperit.

B) Ceterae constitutiones.

In ceteris constitutionibus quae ratio inter Cornificium et Ciceronem intercedat, non tam facile est perspectu quam in coniecturali et ceteris utriusque operis partibus, neque enim nisi in paucis latinus sermo eundem latinum auctorem prodit, quamquam in quibusdam nihilominus latinus fons agnoscendus est. Praeterea in rebus persaepe differunt, ut vix diiudicari possit, utrum eiusdem doctrinae diversa frusta aut mutata aut contracta exstent, an omnino diversorum fontium praecepta consarcinata sint. Quare, cum de his non semper ad certum finem, sed ad versimilitudinem tantum perveniri possit, oportet disputationem brevius comprehendere.

Atque ut definitivam primam constitutionem adeamus, in hac quidem communis iste fons agnosci potest. Ordo argumentorum idem est, sed a Cornificio nonnulla omissa, alia breviter adumbrata sunt, nonnunquam ipsa verba consentiunt.

Cornif. II, 12, 17: *Primum adferemus brevem vocabuli definitionem hoc modo: maiestatem is minuit, qui ea tollit, ex quibus rebus civitatis amplitudo constat.*

Cic. II, 17, 53: *Primus ergo accusatoris locus est eius nominis, cuius de vi quaeritur, brevis et aperta et ex opinione hominum definitio hoc modo: maiestatem minuere est de dignitate aut amplitudine aut potestate populi aut eorum, quibus populus potestatem dedit, aliquid derogare . . . .*

Cornif.: *Deinde factum nostrum cum verbi descriptione coniungetur.*

Cic.: *Postea ad id, quod definieris, factum eius, qui accusabitur, adiungere oportebit et ex eo, quod ostenderis esse, verbi causa maiestatem minuere . . . . .*

Cornif.: *Deinde contrariae descriptionis ratio refelletur,*

Cic.: *Post erit infirmanda adversariorum descriptio.*

Cornif.: *si aut falsa erit*

Cic.: *Ea autem infirmabitur, si falsa demonstrabitur,*

Cornif.: *aut inutilis aut turpis aut iniuriosa, id quod ex iuris partibus sumetur.*

Cic.: *item infirmabitur, si turpis aut inutilis ostendetur, id autem ex honestatis et ex utilitatis partibus sumetur, de quibus in deliberationis . . . .*

Cicero omisit *iniuriosa, id quod ex iuris partibus sumetur,* sed ex Cornificio supplendum est. Cornificius omisit additamentum illud ad *inutilis aut turpis,* quo ex honestatis et utilitatis partibus haec sumi significaretur. Ergo ad restituendum auctorem latinum et Cicero et Cornificius adhibendus est. Causa, cur Cornificius insequens argumentum apud Ciceronem *et si cum definitione nostra adversariorum definitionem conferemus et nostram veram . . .* omiserit, nulla alia est nisi quod ei haec postea, quae ante dicta essent, superflua esse videbantur.

Deinde etiam locos communes et omnia, quae defensoris sunt, ut inutilia praeteriit. Quin uterque auctorem latinum adhibuerit, nemo dubitabit, quamquam, cum apud illum *definitio* non propriam constitutionem efficeret, sed inter partes legitimae esset, Ciceronem quidem eum secuturum esse vix exspectavimus. —

Generalis constitutio apud Ciceronem (II, 21, 62) ex duabus partibus constat, negotiali et iuridiciali, apud Cornificium (II, 12, 18) sola iuridicialis restat. Partes iuris apud Ciceronem in negotiali enumeratae sunt, apud Cornificium eadem iuridiciali subiciuntur, ut non dubitem, quin in communi fonte ad utramque partem relata fuerint.

Partes iuris.

Cornif. II, 13, 19: *De eo causa posita dicere poterimus, si ex quibus partibus ius constet, cognoverimus. Constat igitur ex his partibus: natura lege consuetudine iudicato aequo et bono pacto. Natura ius est, quod cognationis aut pietatis causa observatur, quo iure parentes a liberis et a parentibus liberi coluntur. Lege ius est id, quod populi iussu sanctum est, quod genus: ut in ius eas, cum voceris.*

Consuetudine ius est id, quod sine lege, aeque ac si legitimum sit, usitatum est, quod genus: id, quod argentario tuleris expensum, a socio eius recte petere possis. Iudicatum est id, de quo sententia lata est aut decretum interpositum. Ea saepe diversa sunt, ut aliud alii iudici aut praetori aut consuli aut tribuno plebis placitum sit, quod genus: . . . . (sequuntur tria exempla).

Cic. II, 22, 65: *Utrisque aut etiam omnibus, si plures ambigent, ius ex quibus rebus constet, considerandum est. Initium ergo eius ab natura ductum videtur; quaedam autem ex utilitatis ratione aut perspicua nobis aut obscura in consuetudinem venisse; post autem adprobata quaedam a consuetudine aut vero utilia visa legibus esse firmata. Ac naturae quidem ius esse, quod nobis non opinio, sed quaedam innata vis adferat, ut religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, observantiam, veritatem* . . . . . . (sequuntur uniuscuiusque rei definitiones)

. . . .

Consuetudine autem ius esse putatur id, quod voluntate omnium sine lege vetustas comprobarit. In ea autem quaedam sunt iura ipsa iam certa propter vetustatem. Quo in genere et alia sunt multa et eorum multo maxima pars, quae praetores edicere consuerunt. Quaedam autem genera iuris iam certa consuetudine facta sunt; quod genus pactum, par, iudicatum. Pactum est, quod inter quos

Ergo, quia possunt res simili de causa dissimiliter iudicatae proferri, cum id usu venerit, iudicem cum iudice, tempus cum tempore, numerum cum numero iudiciorum conferemus. Ex aequo et bono ius constat, quod ad veritatem communem videtur pertinere, quod genus: ut maior annis LX et cui morbus causa est, cognitorem det. Ex eo vel novum ius constitui convenit ex tempore et hominis dignitate. Ex pacto ius est, si qui inter se pepigerunt, si quid inter quos convenit. Pacta sunt, quae legibus observanda sunt, hoc modo: rem ubi paciscuntur, in comitio aut in foro ante meridiem causam cuicito; sunt item pacta, quae sine legibus observantur ex convento, quae iure praestare dicuntur.

His igitur partibus iniuriam demonstrari, ius confirmari convenit, idque in absoluta iuridiciali faciendum videtur.

convenit ita iustum putatur, ut iure praestare dicatur; par, quod in omnes aequabile est; iudicatum, de quo iam ante sententia alicuius aut aliquorum constitutum est. Iam iura legitima ex legibus cognosci oportebit. (Cf. Cic. II, 53, 160.)

Communis fons hic propter similitudinem utriusque enumerationis statuendus esse videtur, cum ius apud utrumque natura lege consuetudine etc. esse dicatur. Latinum autem fontem fuisse ex iis sequitur, quae de pactis dicunt, Cornificius *sunt item pacta, quae sine legibus observantur*

ex convento, quae iure praestare dicuntur, Cicero brevius *pactum est, quod, inter quos convenit, ita iustum putatur, ut iure praestare dicatur.*

Ceterum, cum haec distributio a philosophis Graecis profecta videatur, apud Ciceronem huius originis[36]) plura vestigia exstant, Cornificius contra, qui diligentius quam auctor suus res Romanas spectavit, ab eo recessit et haec colore vere Romano tinxit. Nam *par* quidem nihil nisi translationem graeci *ἴσον* esse Kiesslingius me monuit[37]), cum Cornificius aequum et bonum ex iuris Romani scientia substituerit, porro iudicatum leviore ratione a Cicerone explicari: *in quo iam sententia alicuius aut aliquorum constitutum sit*, multo accuratius Cornificium et Romano homine dignius: *iudicatum est, de quo sententia lata est aut decretum interpositum.* Addo, quod de pacto Cicero tantum in universum loquitur, Cornificius autem ius ex pacto esse dicit, si quid inter se pepigerint, adicit vero pactum esse, quod legibus observandum sit, hoc est, quod certo quodam et legibus praescripto ritu fiat. Nam re vera non omnia, quae inter quos conveniunt, pacta sunt, sed ea tantum, quae sollemni illa ratione panguntur. Atque hoc quidem fuit ius strictum duodecim tabularum; sensim autem etiam ea, quae sine sollemni ratione pacta erant, iuris vim habere coepisse constat; quare scite additum est apud Cornificium alterum hoc genus pactorum, quae iure praestare dicuntur, Cicero aut omnino rem non intellexit aut alterum tantum genus pactum putavit. Mihi alterum probatur, nam quoniam modo dixerat, *quaedam autem genera iuris iam certa consuetudine facta* (id est, sunt genera quaedam, quae iuris genera consuetudine demum facta

36) Aliter iudicat Puchta, Gewohnheitsrecht I p. 49 seqq.

37) Par enim apud Romanos aliud fuisse videtur, ut ex Quintiliano patet, qui et ipse in hoc loco Ciceronis offendit VII, 4, 6: *adiciunt et id, quod sit par; verum id non temere intuendum est, nam et vis contra vim et talio nihil habent adversum eum, qui prior fecit, iniusti* etc.

sunt), non potuit alterum genus pacti commemorare. Quam in difficultatem incidit, cum tria ista: pactum, par, iudicatum, ut videntur Graeci tradidisse, consuetudini subiceret. Quod scite evitavit Cornificius ita, ut pactum, par (scil. aequum et bonum), iudicatum a consuetudine seiungeret et propria genera esse iuberet. Qua ratione auctorem suum et Ciceronis correxit et hanc distributionem ad ius Romanum accommodavit[38]. — Haec de iuridiciali absoluta, de ceteris autem constitutionibus tantum breviter, quid sentiamus, proferemus. Atque ex iuridiciali adsumptiva[39]) concessionis una pars, dico deprecationem (Cornif. II, 17, 25—26 = Cic. II, 34, 104—109), ad eundem auctorem latinum referenda esse videtur, altera in parte, in purgatione (Cornif. II, 16, 23—24 = Cic. II, 31, 94—103) Cicero interdum a solito auctore recessisse videtur; in altera adsumptiva constitutione, quae remotio criminis vocatur (Cornif. II, 17, 26 extr. = Cic. II, 29, 86—94), Cicero copiosiore quodam fonte usus est quam Cornificius. In translatione criminis (Cornif. II, 15, 22 = Cic. II, 26, 78—83) nihil certi demonstrari potest, in comparatione (Cornif. II, 14, 21/22 = Cic. II, 72—78) nonnulla a Cicerone, ut illa de deliberatione 76, ex alieno fonte sumpta esse suspicor. — Restant quaestiones, quae in scripto versantur, quae apud Cornificium constitutioni legitimae subiciuntur (Cornif. II, 9, 13 — 11, 16 = Cic. II, 40, 116 — 51, 154). E quibus omissis ceteris, in ea, quae de scripto et sententia vocatur (Cornif. II, 9, 13—14 = Cic. II, 42, 121—143) Cicero mihi praecepta sua ex duabus doctrinis confudisse videtur, quarum prima Cornifici similior

---

38) Animadvertendum est quam male apud Ciceronem ea, quae praetores edicere consuerunt (cf. Sohm, Institutionen des Römischen Rechts [2], p. 48 et adnotationem), et pactum par iudicatum uni generi subiecerit: illa de iure Romano ex eodem Sohmii libro cognovi.

39) Ordinem partium inverti, ne ab incerta re inciperem.

usque ad 127 exstat, ea autem quae inde a 127 inducitur, alia eiusdem doctrinae forma et multo copiosior et artificiosior quaestionis de scripto et sententia expositio est. Iterum igitur Cicero duobus fontibus usus est[40]).

Atque haec hactenus de constitutionum praeceptis; summa autem, ut breviter comprehendam, disputationis nostrae fuit, quod demonstravimus, in coniecturali constitutione Cornificium bonam quidem, sed artificiosiorem et non iam simplicem, sed secundariam doctrinam tradere, quam acceperit ab eodem illo, quem supra evicimus, latino auctore; qui et ipse hanc ex alio fonte quam ceterarum constitutionum praecepta hauserit. Eundem auctorem latinum Cicero in quibusdam adhibuit, sed studio quodam novam et propriam sententiam proferendi molestissimam confusionem rerum inter se alienissimarum intulit omniaque disturbavit, etsi uno quidem loco doctrinae Cornificiana melioris vestigia servavit. In ceteris constitutionibus Cornificio iterum auctoris latini vestigia promente Cicero praeter illum alios fontes secutus esse videtur.

C.

Nondum absolvimus confirmationem et confutationem, hae enim partes orationis non solum uniuscuiusque causarum generis singula argumenta comprehendunt, verum

40) Sine dubio enim et huius de scripto et sententia quaestionis multa apud rhetores diversa praecepta exstabant; in ea quidem, quae in Ciceronis *partitionibus oratoriis* est 133, quamquam multa similiter dicta sunt atque apud Ciceronem et maxime Cornificium, tamen insunt discrepantiae non leviores, inest alius ordo. Atque, si fors tulisset, etiam plures cum huius quaestionis tum totius constitutionum dispositionis inter se diversas formas haberemus, nam multi sane primo et altero a. Chr. n. saeculo libri rhetorum περὶ στάσεων ad exemplum doctrinae Hermagoreae scripti prodierunt, quorum unusquisque a ceteris dissentiebat aut ceteras doctrinas aut corrigebat aut corrumpebat, cuius rei imaginem enumeratio illa copiosissima Quintiliani (III, 6) praebet.

etiam communia ab utroque scriptore argumentandi et refellendi praecepta quaedam adduntur. Eo tamen inter se differunt, quod Cornificius (II, 18, 27) confirmationem et confutationem in unam partem contrahens ea, quae de argumentandi ratione praecipit, etiam ad confutationem referri vult, ea autem, quae Cicero reprehensioni subiungit (quae est eadem quae apud Cornificium confutatio), vitiosae argumentationis praecepta appellat. Quae quamquam et rebus ipsis et exemplis maxime apud utrumque congruunt, ordo eorum is, quem Cicero habet, permultum distat ab eo, quo Cornificius utitur. Cuius discrepantiae causam et rationem ut cognoscamus, accuratissime alter cum altero comparandus est, ita, ut alter ordo servetur, alter tollatur, servabimus autem Ciceronianum, ut, cum in illo plura insint praecepta, commodior fiat comparandi ratio; uter autem omnino servandus sit, postea apparebit.

Cornificius II, 20, 31: *Quoniam igitur ostendimus perfectam et plenam argumentationem ex quinque partibus constare* [41]*, in unaquaque parte argumentationis quae vitia vitanda sint, consideremus, ut et ipsi ab his vitiis recedere et adversariorum argumentationes hac praeceptione in omnibus partibus temptare et ab aliqua parte labefactare possimus.*

Cicero I, 42, 78: *Reprehensio est, per quam argumentando adversariorum confirmatio diluitur aut elevatur. Haec fonte inventionis eodem utetur, quo utitur confirmatio, propterea quod, quibus ex locis aliqua res confirmari potest, eisdem potest ex locis infirmari . . . . Verumtamen, ut aliquae praeceptio detur huius quoque partis, exponemus modos reprehensionis; quos qui observabunt, facilius ea, quae contra dicentur, diluere aut infirmare poterunt. Omnis argumentatio reprehenditur, si aut ex eis, quae sumpta sunt, non conceditur aliquid unum plu-*

41) II, 18, 28.

rave, aut his concessis complexio confici negatur, aut si genus ipsum argumentationis vitiosum ostenditur, aut si contra firmam argumentationem aliqua aeque firma aut firmior ponitur.

Apud Cornificium igitur cum ipsa argumentatio in quinque partes distributa sit, etiam vitiosae argumentationis praecepta quinque partita sunt, ita, ut uniuscuiusque partis vitia enumerentur;

Has Cornifici quinque partes litteris A, B, C, D, E notavi, Ciceronis quattuor reprehensionis modos numeris I, II, III, IV. (A II, 20, 32—22, 34. B —37. C —28, 45. D, E—46.)

I.

Cicero: *Ex eis, quae sumuntur, aliquid non conceditur, cum aut id, quod credibile dicunt, negatur esse eiusmodi, aut, quod comparabile putant, dissimile ostenditur . . . . . .*

80: *Id quod pro credibili sumptum erit, infirmabitur, si aut*[42]) *perspicue falsum erit, hoc modo: nemo est, quin pecuniam quam sapientiam malit; aut ex contrario quoque credibile aliquid habebit, hoc modo: quis est, qui non officii cupidior quam pecuniae sit? Erit autem omnino incredibile, aut si aliquis, quem constet esse avarum, dicat alicuius mediocris officii causa se maximam pecuniam neglexisse,*

aut si, quod in quibusdam rebus aut hominibus accidit,

A₁ *Expositio vitiosa est, cum ab aliqua aut a maiore*

42) Haec duo in Cornifici fonte exstitisse verisimile est, nam ad expositionem vitiosam pertinent.

parte ad omnes confertur id, quod non necessario est omnibus attributum, ut si quis hocmodo exponat: omnes, qui in paupertate sunt, malunt maleficio parare divitias quam officio paupertatem tueri (quaesitae sermonis figurae apud Cic. desunt).

A_2 *Item vitiosa expositio est, cum id, quod raro fit, fieri omnino negatur, hoc modo: nemo potest uno aspectu neque praeteriens in amorem incidere.*

id omnibus dicitur usu venire, hoc pacto: qui pauperes sunt, iis antiquior officio pecunia est, qui locus desertus est . . . . aut si, id quod raro fit, fieri omnino negatur, ut Curio pro Fulvio: nemo potest uno aspectu neque praeteriens in amorem incidere.

(Haec tria apud Cornificium desunt)

81: *Quod autem pro signo sumetur, id ex iisdem locis, quibus confirmatur, infirmabitur* (tum sequuntur quaedam, quae omnino signo attributa sint, sine exemplorum copia) . . . .

82: *Cum autem pro comparabili aliquid inducetur* . . . (etiam hic exempla desunt). *Sin iudicatum aliquid inferetur, quoniam id ex his locis maxime confirmatur* (sequuntur loci firmandi iudicati) . . . *ex contrariis locis* . . . . . . *infirmari oportebit* . . . .

C_1 (Confirmatio rationis) *Utuntur igitur studiose in confirmanda ratione duplici con-*

83: *Quae vero sicuti necessaria dicuntur . . . sic reprehendentur: Primum com-*

clusione hoc modo: iniuria abs te adficior indigna pater . . . . . . quae hoc modo concludentur, aut ex contrario c o n v e r t e n t u r: *nulla te indigna . . . .*	*prehensio* (*1*) *. . . . . si falsa, duobus modis, aut* c o n v e r s i o n e: *nam si veretur, quid eum accuses, qui est probus? . . . .*
aut ex s i m p l i c i p a r t e *reprehendentur . . . hoc modo: nam si improbum . . . . . .*	*aut* a l t e r i u s p a r t i s *infirmatione hoc modo: nam si veretur*[43]).
A_3 *Item vitiosa expositio est, cum omnes res ostendimus nos conlegisse et aliquam rem idoneam praeterimus hoc modo: quoniam igitur hominem occisum . . . .*	*Enumeratio* (*2*) *. . . . si aut praeteritum quiddam dicimus . . . . . quoniam habes istum equum . . . . . .*
(Haec duo desunt apud Cornificium)	*aut infirmum aliquid adnumeratum . . . . .* *aut illud extremum non turpe sit concedere.*
C^2 *Item vitiosa est confirmatio rationis, cum ea re, quae plures res significat, abutimur pro certo unius rei signo, hoc modo: necesse est, quoniam pallet, aegrotasse, aut necesse est, peperisse* etc. *. . . . . .*	*Simplex conclusio* (*3*) *. . . si hoc, quod sequitur, non videatur necessario cum eo, quod antecessit, cohaerere. Nam hoc quidem: si spiritum ducit, vivit, si dies est, lucet, eiusmodi est, ut cum priore necessario posterius cohaerere videatur. Hoc autem: si mater est, diligit, si aliquando peccavit, nunquam corrigetur, sic*

43) Eodem exemplo utitur Cornificius inter vitia r a t i o n i s c o n f i r m a t i o n i s II, 26, 42, sed ad aliam rem illustrandam; cum vero ibi poetae verba plura adhibita sint, Ciceronem locum exempli mutasse puto.

conveniet reprehendi etc.[44])

. . . .

II.

Cic. I, 47, 87: *Cum autem, his concessis, complexio ex eis non conficietur*[45]), *haec erunt consideranda: num aliud conficiatur, aliud dicatur, hoc modo: si, cum aliquis dicat se profectum esse ad exercitum, contra eum quis velit hac uti argumentatione: si venisses ad exercitum, a tribunis militaribus visus esses, non es autem ab eis visus; non es igitur ad exercitum profectus* . . . . . .

III.

89: *Ipsum autem genus argumentationis vitiosum his de causis ostendetur, si aut in ipso vitium erit aut si non ad id, quod instituitur, adcommodabitur.*

1. *Si in ipso vitium erit.*

a. *Si omnino falsum erit,*

---

44) Quae Cicero simplici conclusioni subicit, mihi magis ad signum, ut etiam ex Cornificio apparet, pertinere videntur, nam simplex conclusio, ut ipse supra in argumentationis praeceptis I, 29, 45 demonstravit, latius patet.

45) Haec et quae sequuntur, non invenies apud Cornificium, tamen attendas velim ad exempli similitudinem in vitiosa rationis confirmatione Cornif. II, 26, 41: *non convenit, censores, istum vobis satisfacere, quod ait se non potuisse adesse ita, ut iuratus fuerit. Quid? si ad exercitum non venisset, idemne tribuno militum diceret?*

C_3 *Item vitiosum est, quod vel in alium vel in eum ipsum, qui dicit, quod in adversarium dicit, potest convenire, hoc modo: miseri sunt, qui uxores ducunt.*

C_4 *Item vitiosum est id, quod vulgarem habet defensionem, hoc modo: iracundia deductus peccavit aut adulescentia aut amore*[46]*).*

C_6 *Item vitiosum est, quod iam quasi sero atque acto negotio dici videtur, hoc modo: in mentem mihi si venisset, Quirites, non commisissem, ut in hunc locum res veniret; nam hoc aut hoc fecissem, sed me tum ratio fugit.*

C_7 *Item vitiosum, cum id, quod in aperto delicto positum est, tamen aliqua tegitur defensione, hoc modo: cum te expetebant . . . . . .*

A_8 *Item vitiosa expositio est, quae nimium longe repetitur, hoc modo: omnium malorum stultitia est mater . . . . . ne Ennium . . . imite-*

in quo perspicue mendacium est . . . . .

b. *Commune est, quod nihilominus ab adversariis quam a nobis facit, hoc modo: idcirco, iudices, quia veram causam habebam, brevi peroravi.*

c. *Vulgare . . . . .*

d. *Leve est, quod aut post tempus dicitur, hoc modo: si in mentem venisset, non commisisset*[47]*),*
aut perspicue turpem rem levi tegere vult defensione: cum te expetebant omnes, florentissimo regno reliqui . . . .

e. *Remotum est, quod ultra, quam satis est, repetitur, huiusmodi: quodsi non P. Scipio . . . . . huiusmodi est illa quoque*

46) Hoc deest apud Ciceronem, ac ne quadraret quidem ad propositum, neque enim ipsum genus argumentationis reprehenderetur.

47) Ut ex Cornificio apparet, Cicero exemplum decurtavit.

mur, quibus hoc modo loqui concessum est: Utinam ne in nemore . . . . .

C_9 et $_{10}$ *Item vitiosum est falsis aut vulgaribus definitionibus uti. Falsae sunt huiusmodi, si quis dicat iniuriam esse nullam* etc. *Vulgares sunt, quae nihilominus in aliam rem transferri possunt, ut si quis dicat: quadruplator, ut breviter scribam, capitalis est . . . . . .*

C_5 *Item vitiosum est, cum quid pro eo sumitur, quod inter omnes constet, quod etiam nunc in controversia est, hoc modo: eho, tu, di, quibus est potestas . . . . . .*

C_{11} *Item vitiosum est, pro argumento sumere, quod in disquisitione positum est, ut si quis quem furti arguat et ita dicat: eum esse hominem avarum, fraudulentum* etc. . . . .

C_8, C_{15}, C_{14} } 48)

conquestio: Utinam ne . . . .

f. *Mala definitio est, cum aut communia discribit, hoc modo: seditiosus est is . . . . .*
aut falsum quiddam dicit: sapientia est pecuniae quaerendae intellegentia . . . .

g. *Controversum est, in quo ad dubium demonstrandum dubia causa adfertur, hoc modo: eho, tu, di, quibus est potestas . . . . .*

(h)

i. *Non concessum est, cum id, quod augetur, in controversia est, ut si, qui Ulixem accuset, in hoc maxime commoretur: indignum esse ab homine ignavissimo . . . .*

k. (turpe).

l. (offensum).

m. (contrarium).

n. (inconstans).

o. (adversarium).

2. *Si non ad id, quod instituitur, adcommodabitur aliqua pars argumentationis.*

48) Haec accuratius comparare nihil prodest, cum verba nimis discrepent.

C_{16} *Item vitiosum est non omnes res confirmare, quas pollicitus sis in expositione.*

a. *Si plura pollicitus pauciora demonstrabit . . . .*

b. *Cum totum debebit ostendere, de parte aliqua loquatur: mulierum genus avarum est, nam Eriphyla auro . . .*

C_{17} *Item verendum est, ne de alia re dicatur, cum alia de re controversia sit, in eiusmodi vitio ne aut ad rem addatur quid aut quippiam de re detrahatur aut tota causa mutata in aliam causam derivetur: uti apud Pacuvium Zethus cum Amphione, quorum controversia de musica inducta est, disputatio in sapientiae rationem et virtutis utilitatem consumitur.*

c. *Aut si non id, quod accusabitur, defendet: ut si, cum ambitus accusabitur, manu se fortem esse defendet; aut ut Amphion apud Euripidem, qui vituperata musica sapientiam laudat*[49]).

$C_{18—19}$ *Item considerandum est, ne aliud accusatoris criminatio contineat, aliud defensoris purgatio purget . . . . Item vitiosum est artem aut scientiam aut studium quodpiam vituperare propter eorum vitia, qui sunt in eo studio . . . .*

d. *Aut si res ex hominis vitio vituperatur, ut si qui doctrinam ex alicuius docti vitiis vituperet aut si qui, cum aliquem volet laudare, de felicitate eius, non de virtute dicat.*

C_{20} *Item vitiosum est ex eo, quia perperam factum constat esse, putare ostendi acerbo*

---

49) Cicero utrum ipse Euripidem legerit an graecum fontem praeceptorum eum inspexisse hinc concludendum sit, non possum diiudicare.

homine factum esse, hoc modo: mortuum deformatum . . . .[50]

C_{21} *Item vitiosum est in comparandis rebus alteram rem efferre, de re altera mentionem non facere aut neglegentius disputare . . .* . . . . C_{22} *Item vitiosum est in rebus comparandis necesse putare alteram rem vituperare, cum alteram laudes . . . .* C_{23} *Item vitiosum est de nomine et vocabulo controversiam struere . . . . . .*

B_1 *Vitiosa ratio est, quae ad expositionem non est adcommodata vel propter infirmitatem vel propter vanitatem. Infirma ratio est, quae non necessario ostendit ita esse, quemadmodum expositum est, velut apud Plautum: amicum* . . . . . B_2 *Vana ratio est, quae ex falsa causa constat, hoc modo: amor fugiendus non est, nam ex eo verissima nascitur amicitia.*

B_4 *Item infirma ratio est, quae videtur pro ratione adferri, sed idem dicit, quod in expositione dictum est, hoc modo: magno malo est homi-*

f. *Aut si rem cum re ita comparabit, ut alterum se non putet laudare, nisi alterum vituperavit.*

g. *Aut si alteram rem ita laudat, ut alterius non faciat mentionem.*

h. *Aut si, cum de certa re quaeretur, de communi instituetur oratio.* i. *Aut si qui cum aliqui deliberent, bellum gerant an non, pacem laudet omnino . . . . .*

k. *Aut si ratio alicuius rei redditur falsa, hoc modo: pecunia bonum est, propterea quod maxime vitam beatam efficiet; aut infirma, ut Plautus: amicum castigare ob meritam noxiam . . . . .*

Aut eadem hocmodo: malum est avaritia, multos enim magnis incommodis adfecit pecuniae cupiditas.

---

50) Hoc Cicero consulto omisit, nam ad signum pertinet, de quo iam supra dixit.

nibus avaritia, idcirco quod . .
. . . . B_5 *Item infirma ratio est, quae minus idoneam, quam res postulat, causam subicit expositionis . . . item: utile est amicos veros habere, habeas enim, quibuscum iocari possis.*

Aut parum idonea, hoc modo: maximum bonum est amicitia, plurimae enim delectationes sunt in amicitia.

IV.

I, 51, 96: *Quartus modus erit reprehensionis, per quem contra firmam argumentationem aeque firma aut firmior ponetur. Hoc genus in deliberationibus maxime versabitur . . . . .*

Iam in ipsa comparatione hic illic suspicati sumus Ciceronem mutasse quaedam ex iis, quae communis auctor praeceperit, ut exemplum ex tragoedia sumptum, quod Cornificius II, 26, 42 praebet, ad longe aliam rem illustrandam brevius reddidisse eum animadvertimus. Alio loco figuratum sermonem *maleficio parare divitias quam officio paupertatem tueri* simpliciter reddidit. Gravioris vero momenti est, quod uno loco in ipso ordine eius et distributione offendebamus, in fine partis I, ubi simplicis conclusionis exempla afferuntur, quae non tam illius quam signi potius propria sunt, ita ut vitium Ciceronis agnoscendum esset. Accedebat, quod alio loco omisit aliquid ex Cornifici praeceptis, quod, si posuisset, ordinem suum disturbasset (III b vitiosum illud, quod vulgarem defensionem habet). Inde suspicio oritur Ciceronis reprehensionis praecepta omnino posteriora et magis secundaria esse quam Cornificiana, et ita, ut Cornificium, iam communem auctorem utriusque praecepisse, Ciceronem contra novum ordinem intulisse. Ciceronis enim reprehensio ex quattuor partibus

constat; primum reprehenduntur *ea quae sumuntur*. (Ea sunt secundum eam quam supra I, 29, 44 tradidit argumentationis inventionem: probabilia, necessaria, signum, iudicatum etc.) Tum reprehenditur, *si complexio ex his fieri non potest*; tertium genus est, *si ipsum argumentandi genus reprehenditur* (frustra hic exspectamus reprehensionem quinquepartitae ratiocinationis et inductionis). Quartus modus est, *si contra firmam argumentationem aeque firma aut firmior ponitur*. Cornificius autem tantum ipsius argumentandi rationis illius quinquepartitae, quam II, 18, 27 tractavit — nihil enim amplius dixit de argumentatione in universum — reprehensionem profert. Nunc quaeritur, illa praecepta, quae una cum exemplorum copia communia sunt apud utrumque, utrum ad Ciceronis rationem aptiora sint an ad Cornifici argumentationem. Sed Ciceronis rationem omnino gravissimis quibusdam difficultatibus implicatam esse demonstrari potest. Nam enumeratio (84) quamquam in iis, quae sumuntur, posita est, quae est necessariae argumentationis genus (cf. I, 29, 45), debuit secundum Ciceronis rationem tertio generi, quo *ipsum genus argumentandi* reprehenditur, subici. Quid enim? Nonne illa necessaria argumentatio re vera iam genus ipsum argumentationis comprehendit aut invicem illud hanc? Quam ob rem altera ratio supervacanea et obvia est. Qui porro complexio inter *ea, quae sumuntur* (τὰ λήμματα) poni potest? Quod absurdius est. Itaque distributio illa reprehensionis non apta est ad ea quae Cicero *iis, quae sumuntur*, subiecit. Inde concludo falso cum iis coniunctam esse. Altera in parte autem *si ex his complexio confici non potest* mirum est, quod hypotheticae quae vocantur conclusiones tantum afferuntur (87—89), quas constat esse Stoicorum proprias [51]); nemo autem non intellegit hoc concludendi modo minus apte uti posse oratores quam dialecticos. Quare etiam haec pars parum bene convenit

51) Cf. Prantl, Geschichte der Logik I p. 522.

praeceptioni rhetorum. Quartam autem reprehensionem cum ipse Cicero paucis verbis tantummodo attingat, restat sola ipsius argumentationis generis reprehensio.

Hac in parte si iam paucis exceptis ea fere exstant, quae ad communem auctorem propter verborum exemplorumque consensum referenda sunt, si praeterea ad ipsum argumentationis genus omnis reprehensio apud Cornificium spectat, et meliorem rectioremque Cornificianam distributionem esse et eandem etiam apud auctorem illum communem exstitisse nostro iure concludemus. Cicero contra, cum quadripartitam illam distributionem inferre vellet, primae parti *eorum, quae sumuntur*, reprehensioni, subiecit credibilia, comparabilia, signa etc., necessariae deinde argumentationis genera (comprehensionem, enumerationem, simplicem conclusionem). Credibilibus autem admiscuit nonnulla exempla eorum, quae Cornificius vel auctor eius sub vitiosa *expositione* tradidit; de signo, comparabili, iudicato generalia praecepta aliunde petivit; in necessaria argumentatione uno exemplo ex latini rhetoris thesauro usus est: *nam si veretur* etc. (cf. Cic. I, 83, Cornif. II, 42), qua ratione, supra indicavimus. Similiter in altera parte *si complexio ex his confici non potest* uno loco exemplum Cornificianum (ut ita dicam), si non transcripsit ad verbum, at imitatus tamen est (cf. Cic. I, 87, Cornif. II, 41); in *ipsius autem argumentationis generis reprehensionem* fere totas duas partes ordinis auctoris latini, quae ille de *ratione* et *rationis confirmatione* vitia tradiderat, consumpsit, quarto denique modo reprehensionis quod responderet, apud illum nihil invenit [52]). Iterum vidimus, ut in coniecturali con-

---

52) Auctor latinus

A.	B.	C.	D.	E.
expositio vit.	ratio vit.	rationis confirmatio . . .	exornatio . . .	complexio . . .
credibile				

repr. eor. quae sum.	si complexio non fit.	ipsum genus arg.	si aeque firma arg. pon.
I.	II.	III.	IV.

Cicero.

iecturali constitutione, Ciceronem falsam praecipiendi viam ingressum esse, cum ea, quae non cohaererent, conglutinare studeret. Ac similiter, ut in constitutionum praeceptis, materia quidem praeceptorum et copia eum usum esse videmus, distributionem aliunde petisse. Quod melius fecit in constitutionibus, cum ad Hermagorae doctrinam reverteretur, minus feliciter in hac reprehensione, cum ex Stoicorum arte dialectica hauriret, nam quadripartita illa distributio cum propter hypotheticas conclusiones tum propter *ea, quae sumuntur* (λήμματα, cf. Prantl l. l.) Stoicos redolet (cf., ut monet Kiesslingius, Cic. I, 46, 86 extr.). Respondet, ut breviter attingamus, reprehensioni apud utrumque argumentatio, ita, ut apud Cornificium tantummodo de ipso genere argumentandi, de ipsa argumentationis expolitione praecipiatur (II, 18, 27), apud Ciceronem de iis etiam, quae sumuntur ad argumentationem probabilia et necessaria, et eiusmodi rebus disseratur. Cum autem sciamus reprehensionem apud latinum illum rhetorem ea forma exstitisse qua apud Cornificium, certe et argumentationis praecepta non copiosius tractata erant. Qnare, quaecunque praeter ea, quae ad expolitionem argumentationis pertinent, Cicero praebet, ex aliis fontibus profecta sunt. Sed ne genus et rationem ipsam quidem argumentationis auctori latino illi debet. Nam pro rhetorico epicheiremate, quale apud Cornificium habemus, profert praecepta philosophis convenientia de inductione et ratiocinatione (εἰςαγωγή et συλλογισμός). Ratiocinationem vero (I, 34, 57) vult quinquepartitam esse. Cum autem nusquam quinque partes συλλογισμοῦ inveniantur apud philosophos, videntur mihi quidem, si non ab ipso, at ab auctore tamen eius ad exemplum rhetorici illius epicheirematis conformatae esse. Quamquam de his rebus nihil adhuc affirmare audeo[53]).

53) Cf. iterum, quae Prantl, Geschichte der Logik p. 522 de hac re iudicaverit. Ad Stoicos refert hanc argumentationis formam Philippson (Fleckeiseni annal. vol. 131. 1886 p. 470 seqq.) quod optime concinit

Confirmationi igitur Cicero tria praeter haec, de quibus diximus, capita subiunxit, quibus ipse praemittit verba: *Verumtamen non incommodum videtur quandam silvam atque materiam universam ante permixtim et confuse exponere omnium argumentationum.* Itaque primum I, 34 personae et negotii attributa — de quibus supra in coniecturali constitutione diximus — quasi materiam inventionis tradidit, unde omnes res confirmari possent. Quae unde sumpserit, alio loco demonstrabo. Deinde 44 caput sequitur de necessaria et probabili argumentatione, quam, ut in reprehensione demonstravimus, una cum ipso genere argumentationis, quod infra additur — inductio et ratiocinatio — stare non posse certum est. Itaque ex alio fonte haec quam illa repetita esse perspicuum est, praesertim cum haec (44—47) rhetorum, illa philosophorum propria sint. Ex alio denique fonte quam necessariam et probabilem argumentationem hausit ea, quae 48 de probabilium generibus addidit, nam nomina sola mutantur, res eaedem manent. Haec ergo capita singula per se unumquodque consideranda sunt.

D.

Hic finis esto quaestionis nostrae de singulis Cornifici et Ciceronis librorum partibus, cuius summa, quantum ad utriusque fontes spectat, haec est:

Cornificius praecepta de exordio, narratione, divisione, (vitiosa argumentatione), conclusione ex latini doctoris sui institutione petiit. Sed primi et alterius libri eius maxima pars confirmatione et confutatione comprehenditur, I, 11, 18 — II, 29, 46. Ex his constitutionum distributionem eidem

cum iis, quae in reprehensione de fonte Stoico statuimus. Sed de Posidonio quae coniecit, vix stare posse propter temporum rationem ipse quodammodo confessus est. Multo facilius haec a Diodoto accipere potuit.

se debere ipse testatur, ex singulis constitutionum praeceptis res certa est in coniecturali et iuridiciali absoluta propter consensum cum Ciceronis verbis. In legali constitutione non semper deficiente verborum consensu idem evinci poterat, sed cum illa constitutionum distributio, qua legitimae quaestiones in unam constitutionem coniunguntur, ab ipso illo doctore profecta sit, concludere possumus Cornificium etiam in singulis non alios fontes spectasse. In iuridiciali adsumptiva, cum verba, si non semper, saepissime tamen congruant, idem verisimillimum est. In reprehensione, id est vitiosa argumentatione et in ipsa argumentatione fontem esse eundem proxima capitis huius parte propria ratione probavimus. De demonstrativo et deliberativo genere causarum, quae restant ex *inventione*, nihil adhuc certi demonstrari licet. Quae cum ita sint, praecepta Cornifici libri primi et alterius omnia ex latini illius doctoris scholis profecta esse videntur.

Cicero contra, quamquam in plerisque eundem fontem adhibuit, tamen non in unius verba magistri iuravit et multa ex aliis auctoribus addidit, intulit, adglutinavit. Atque primum quidem in exordii praeceptis non solum latinum illum doctorem secutus est, sed ex alio rhetore aliquid addidit (genus δυςπαρακολούθητον), in narratione iis contentus fuit, quae doctor latinus tradiderat, in partitione, quod ipse confitetur, adiunxit nonnulla ex philosophorum praeceptis, sed quantum, nescimus. (Quod ἐν παρόδῳ ostendere liceat. Cic. I, 22, 33 p. 32, 4 ed. Weidner mihi inde a verbis *partitur apud Terentium breviter* doctor latinus incipere videtur, nam locum Terentii (Andria 49) *nam is postquam excessit* . . . . videtur doctor ille in explicandis praeceptis rhetoricis adamasse, cum idem exstet in *narrationis* I, 19, 27 praeceptis, quae ex illo repetita esse constat. Et profecto priusquam hoc exemplum induceret, Cicero conclusionem quandam fecit (p. 32, 6 Weidner) *atque his de partitione praeceptis* . . . . . ., quam ipsi

Ciceroni tribuendam puto, praesertim cum non post omnia, quae dixit de partitione, posuerit, sed in mediis praeceptis, ita, ut cum iactatione quadam ad ea, quae ipse addiderit, illustranda et comprobanda eam adiunxisse videatur. Neque unde incipiant ipsius praecepta, difficile cognitu est; cum enim ex philosophia se haec transtulisse dicat, ea certe, quae de parte et genere dixit (32 et 33) quaeque apud Cornificium non inveniuntur, in his philosophicis rebus numeranda sunt. Quod si verum est, tota *paucitas* (p. 30, 25 Weidner) ab eo addita est. Quod egregie confirmatur ea re, quod Cornificius huius partitionis primas duas tantum virtutes, brevitatem et absolutionem, commemorat (I, 17).)

In confirmatione ex diversis fontibus libidini suae indulgentem eum nonnulla corrasisse accurate expositum est, latinum auctorem hic omnino non adhibuit. In reprehensione demonstravimus eum exempla et singula quaedam praecepta ab illo accepisse, sed cum distributione aliunde repetita inconsulte coniunxisse. Conclusionis praecepta certe e rhetoris illius latini institutione sumpsit.

Iam in doctrina de constitutionum generibus (lib. I, 8, 10 seqq.) vestigia auctoris Cornifici omnino reliquit levioribus quibusdam exceptis (fortasse 18/19) et Hermagoreos secutus est. Sequitur in altero libro singularum constitutionum explicatio: atque in coniecturali quantam perturbationem sua ipsius sollertia usus effecerit, ostendimus. Ibi et latinum auctorem exscripsit et se ipsum et alios (ut 42—44), tum bene illa de locis communibus (47 seqq.) ex sua scientia correxit. In definitiva tum auctore latino usus (num item in translativa, dubium est), negotialem videtur ab Hermagoreis repetisse, in iuridiciali absoluta propius Cornificio ad verba doctoris latini accessit. In adsumptiva quid rei esset non enucleare poteramus; sed cum in una ex quaestionibus iis, quae in scripto versantur, ex alio fonte quaedam admiscuisse videretur, etiam in ad-

sumptiva hoc fecisse eum suspicati eramus. (Quid de capite de praemio et poena (§ 110) dicendum sit, *quaerere distulimus*, definitionem illam, quae in scripto versatur (II, 51, 153) ipse adiecisse videtur.) —

Proximum utriusque scriptoris fontem ostendimus, ultimi sunt altioris indaginis. Doctor igitur latinus ille, quem Cornificius solum et fere totum in inventione expressit, tamen saepe a Cicerone, ut in primo potissimum quaestionis nostrae capite indicavimus, accuratius et plenius redditur, ut fere semper Cicero ad restituendum eum adhibendus sit. Falsum autem est aut unum aut alterum praeferre vel alterius rationem praecipiendi in universum laudare, alterius vituperare. Atque, etsi fortasse ultra progredi licet et quaestionem instituere, quomodo utriusque sermo, delectus et compositio verborum, a communi illo auctore tinctus sit et quomodo proprium uterque servaverit sermonem, — quod nondum fecisse nos confitemur — tamen eo pervenimus, ut adfirmare possimus, quod iam in primi capitis fine adfirmavimus, Cornifici et Ciceronis primum et alterum librum non tam ipsorum ingenii et sollertiae specimina quam eiusdem fontis rivulos diversos esse.

Rhetor latinus ille qui fuerit, quem doctorem suum appellat Cornificius, multi quaesiverunt, sed frustra; atque van Heusdium, qui olim L. Aelium Stilonem rhetoricorum ad Herennium auctorem contendit, fortasse secutus Marxius nuper [54]) suspicatus est Ciceronis libros de inventione ex Stilonis scholis (cf. Brutus 56), Cornifici rhetorica ex Plotiani cuiusdam magistri institutione profecta esse. Sed demonstravisse me spero, si quidem Plotianus fuerit ille doctor, etiam Ciceronis eum doctorem fuisse; Aelius Stilo autem ab hac doctrina prorsus removendus est. Omissa

---

54) Mus. rhenan. 1888. p. 382 adn. van Heusde, Disquisitio de L. Aelio Stilone etc. Traiecti ad Rhenum 1839 (p. 47 sqq. imprimis).

enim ea quaestione, num omnino Aelius rhetoricen docuerit, quod ex Bruti illo loco (56) nolim concludere, putasne illum talia de iuris distributione tradidisse, qualia exhibet Cicero? Immo Cornifici potius eius distributionis forma Aelio digna fuit. At ista ipsum Cornificium mutasse ex sua iuris Romani scientia ostendimus. Doctorem vero illum non fuisse magno ingenio praeditum, sed mediocris tantummodo iudicii hominem, vel ex iis sentire possis, quae de locis communibus in constitutionibus inconsulte diversis doctrinis usus inter se pugnantia praecepit, de quibus supra disputavimus. Antonius vero, quem sibi agnoscere visus est Kröhnertus[55]), certe non doctor ille fuit. Nam quo potissimum loco nisus est Quintiliani III, 6, 45: *Tres fecit et M. Antonius* (scil. status) *his quidem verbis: paucae res sunt, quibus ex rebus omnes orationes nascuntur, factum, non factum, ius iniuria, bonum malum. Sed quoniam, quod iure dicimur fecisse, non hunc solum intellectum habet, ut lege, sed illud quoque, ut iuste fecisse videamur, secuti Antonium apertius voluerunt eosdem status distinguere. Itaque dixerunt coniecturalem, legalem, iuridicialem*, his proximis verbis Cornificium a Quintiliano significari verisimillimum est; sed inde concludere revera Antonii discipulum fuisse Cornificii nimium est[56]). Haec enim Quintiliani opinio fuit, qui Antonii distributionem non intellegeret, nam verbis *bonum malum* significatur deliberativum et demonstrativum genus, nam omnes orationes, non iudiciale tantum genus comprehendere vult, Cornifici contra constitutiones ad iudiciale solum genus spectant. Ergo longe distat a Cornifici doctrina Antonius. Quis porro est, qui credat Antonium, qualem adumbraverit Cicero, accuratissima et

---

55) In dissertatione Regimonti 1873 „De rhetoricis ad Herennium" p. 21 seqq.

56) Quamquam sermo Antonii similis videtur Cornificiano: *paucae res sunt, quibus ex rebus*, qua structura abundat Cornificius, quaeque priscae latinitatis vim atque robur redolet.

aridissima de constitutionibus praecepta ex Hermagorae schola profecta Romanorum iuventuti praebuisse discenda? Nemo certe hoc sibi persuadebit; qui vero ille doctor Cornifici et Ciceronis fuerit, quamvis explorare curiosum sit, tamen explorari posse nego. Ac certe, quicunque fuit, novi nihil attulit ad graecam, quam transtulit, artem, nisi quod multa omisit, *quae Graeci inanis adrogantiae causa sibi adsumpserant*, inquinare autem et corrumpere graecam doctrinam male intellectam facilius poterat. Quam ob rem in rhetoricas artes Romanorum inquirendum nobis est non eo solo consilio, ut auctores latinos eorum indagemus; sed, ut ad Graecae rhetorices cognitionem inde fructum capiamus, non minus mihi quaerendum videtur.

CAPUT TERTIUM.

(De Cornifici et Ciceronis artium rhetoricarum compositione.)

Postquam singulas materiae nostrae partes disiecimus, examinavimus, dolavimus, age iam eas componamus, ut firmum perfectumque aedificium exstruamus. Sed spes operam fallit, en partes non totum efficiunt, singula dilabuntur! Compositio enim Cornifici et Ciceronis librorum, quamvis bona et dilucida obiter legentibus videatur, gravissimis vitiis laborat.

Est enim Cornifici dispositio haec: dicit (I, 2, 3) oportere esse in oratore inventionem, dispositionem, elocutionem, memoriam, pronuntiationem; haec quinque oratoris officia postquam accuratius definivit, pergit: *nunc, quemadmodum ad orationem possint officia oratoris adcommodari, dicendum videtur. Inventio in sex partes orationis consumitur, in exordium, narrationem, divisionem, confirmationem, confutationem, conclusionem.* Tum sequuntur secundum hunc ordinem uniuscuiusque harum sex partium praecepta, quid in exordio observandum sit, quae virtutes narrationis, tum generalia praecepta de divisione et, ut hic confirmationem et confutationem omittamus, de conclusione. E quibus, discitur, quomodo in unaquaque causa non quid in singulis partibus dicendum sit, inveniatur, sed in universum, quid in quaque considerandum aut cavendum sit, praescribitur. Sed qui possunt haec omnia nomine inventionis significari? An putas dispositionem ad eas non attinere; cur inventio sola in sex partes orationis consumitur? Cur non item elocutio, actio? Nonne aliter disponendum, eloquendum,

pronuntiandum est in exordio quam in conclusione? Sed fac rhetores inventionem secundum sex partes orationis distribuerint, desideramus certe praeceptionem, quomodo inveniatur. Quare suspicio oritur, ne non recte haec *inventio* nominata sint. Iam videamus, quae confirmationis et confutationis ratio sit, in qua Cicero a Cornificio differt. Nam cum dispositi sint libri de *inventione* qui vocantur eadem ratione, qua Cornifici rhetorica, ut inventionis maxima pars in illis sex orationis partibus contineatur, tamen eo differunt, quod Cicero constitutionum distributionem et quae cum ea cohaerent (I, 8, 10—19) non confirmationi subiungit, ut fecit Cornificius, sed praemittit sex partibus orationis et tum dicit: *iam his omnibus repertis singulae partes totius causae considerandae sunt.* De sex illis partibus omnino eadem fere tradere eum atque Cornificium vidimus. Singularum constitutionum argumenta non una cum ceteris confirmationis praeceptis exponit, sed ab eis separata in altero libro ponit, quamquam, etsi non satis confidenter, ea ad confirmationem et confutationem pertinere affirmat (II, 3, 11). Qua re tota eius dispositio disturbatur. Sed illa ipsa singula argumenta et argumentorum ordines, quae in altero commentationis huius capite percensuimus, quomodo inventionis nomine appellari possunt? An potius dispositioni vindicanda sunt? Sunt enim iam disposita. Quid in illis dispositio facere, administrare, ordinare potest? Quare cum inventionis nomen etiam hic nos in difficultates abducat, quaerendum est, quid omnino, omissis Cicerone et Cornificio, inventio (εὕρεσις) significet, qua de re Strillerus egit accuratius in libro *de Stoicorum studiis rhetoricis* scripto [57]) p. 34 seqq. Atque primum quidem Platonem rhetorica notione verbum usurpasse vidit recte Strillerus, qui in Phaedro p. 236 a dicit: *τῶν μὲν τοιούτων οὐ τὴν εὕρεσιν, ἀλλὰ τὴν διάθεσιν ἐπαινετέον, τῶν δὲ μὴ ἀναγκαίων τε καὶ χαλεπῶν εὑρεῖν πρὸς τῇ διαθέσει*

57) In „Breslauer philologische Abhandlungen" vol. I.

καὶ τὴν εὕρεσιν. Postea ante Cornificium et Ciceronem nusquam eo sensu exstat, sed a Laertio Diogene traditur (VII, 43) Stoicos rhetoricam partitos esse *εἰς εὕρεσιν καὶ φράσιν καὶ τάξιν καὶ ὑπόκρισιν.* Et fac non a Stoicis inventa esse haec, id recte sensit Strillerus, *ἔργα* (officia, quas res habere debet Cornif.) oratoris haec esse voluisse inventores, non partes rhetoricae appellasse (quod tamen Cicero fecit). Nonne autem luce clarius est, cum ista nomina actiones significent, opera et officia oratoris ita vocata esse, postea demum per abusionem quandam ad partitionem artium rhetoricarum adhibita? Si vero rhetorica praecepta iis subiungebantur, id eo tantummodo sensu fieri poterat, ut quomodo inveniret, disponeret, qua ratione elocutio tractaretur, quomodo pronuntiaret orator aut in universum aut separatim in singulis causarum generibus, praescriberetur. Docendum igitur erat rhetori, quomodo inveniret orator, quod qui fieri potest? Qua ratione te docere possum aliquid invenire? Certe non ea ratione, ut inventa, ut ita dicam, tibi et iam parata promam. Sed neque tibi ipsa inventa praebere possum neque ostendere ipsam inveniendi rationem, sed unde, quibus locis aliquid invenias, tantummodo demonstrare possum. Ergo debent inventionis praecepta docere, unde argumenta inveniantur. Itaque ipsa verbi notione adducimur, ut locorum (*τόπων*) doctrinam inventionem appellatam esse arbitremur. Quod firmatur testimoniis, imprimis ex Ciceronis *topicis* II, 6: *Cum omnis ratio diligens disserendi duas habeat partes, unam inveniendi, alteram iudicandi, utriusque princeps, ut mihi quidem videtur, Aristoteles fuit, Stoici autem in altera elaboraverunt, iudicandi enim vias diligenter persecuti sunt ea scientia, quam διαλεκτικήν appellant, inveniendi artem, quae τοπική dicitur, quae et ad usum potior erat et ordine naturae certe prior, totam reliquerunt*, ergo inventio eadem est quae *τοπική*, nam loci tantum, unde inveniatur, indicari possunt inventionis praeceptis, et mihi quidem non dubium

est, quin in rhetorica idem hoc vocabulum valuerit atque in dialectica, cum ex altera in alteram artem translatam esse necessarium sit (cf. Cic. de oratore II, 157—159). Quodsi loci tantum inveniendi in *inventione* praecipiendi sunt, nihil fere relinquitur ex Ciceronis et Cornifici libris primo et altero, quod ita appellari possit, praeter ea, quae de personarum et negotiorum attributis (I, 34) et de necessaria et probabili argumentatione a Cicerone exponuntur. Immo ipse haec sola ad inventionem pertinere tacite quodammodo prodit, cum dicit § 50: *Atque inveniri quidem ex his locis argumentatio poterit; oportebit autem inventa exornari et certas in partes distingui* . . . Ergo ea, quae sequuntur de inductione et ratiocinatione, hoc est de ipsa ratione argumentandi, non iam ad inventionem pertinent. — Atque Quintilianus quidem[58]), qui soleat alias eum, etiamsi falsa doceat, strenue exscribere, hic eo relicto rectiorem viam ingressus est. Nam quamquam et ipse *institutionem oratoriam* suam secundum quinque ista officia oratoris partitus est, tamen singulorum statuum expositionem (aut coniecturalis certe) non inventioni, sed dispositioni subiecit in libro septimo. Egregie vero nostra sententia firmatur ea ratione, qua apud Cornificium dispositio ad inventionem adcommodatur, lib. III, 9, 16 *quoniam dispositio est, per quam illa, quae invenimus, in ordinem redigimus . . . . . genera dispositionis sunt duo: unum ab institutione artis profectum, alterum ad casum temporis adcommodatum. Ex institutione artis disponemus, cum sequemur eam praeceptionem, quam in primo libro exposuimus, hoc est, ut utamur principio, narratione, divisione, confirmatione, confutatione, conclusione, et ut hunc ordinem, quemadmodum praeceptum est ante, in dicendo sequamur.* Adhuc nihil didicimus nisi quod iam in inventione praeceptum erat. Tum pergit 17: *Est autem alia dispositio, quae, cum ab ordine artificioso secedendum est, oratoris iudicio ad tempus adcommodatur,*

58) Quem sequitur Volkmann Rhetorik² p. 362.

ut si ab narratione dicere incipiamus aut ab aliqua firmissima argumentatione aut litterarum aliquarum recitatione etc. . . . . *quorum nihil, nisi causa postulet, fieri oportebit. Nam si vehementer aures auditorum obtunsae videbuntur atque animi defatigati ab adversariis multitudine verborum, commode poterimus principio supersedere, exordiri causam aut narratione aut aliqua firma argumentatione* etc. . . . . . . Atque haec quidem bene et scite dicta sunt, sed ipse sibi obloquitur Cornificius, cum in primo libro praeceperit insinuatione esse utendum, si defessi sint auditores audiendo, et aliqua re, quae risum movere possit, incipiendum esse. Hic vero de insinuatione omnino nihil dicit, unde sequitur, dispositionem ex alia doctrina profectam esse quam istam inventionem aut certe non ad eam aptam esse [59]). Quod multo magis etiam declarant, quae 18 de confirmatione addit: *In confirmatione et confutatione argumentationum dispositiones huiusmodi convenit habere: firmissimas argumentationes in primis et in postremis causae partibus conlocare, mediocris et neque inutilis ad dicendum neque necessarias ad probandum, quae, si separatim ac singulae dicantur, infirmae sint, cum ceteris coniunctae firmae et probabiles fiant, interponi in medio conlocari oportet . . . . haec dispositio locorum, tamquam instructio militum, facillime in dicendo, sicut illa in pugnando, parare poterit victoriam.*

Quae quemnam ad finem hic dicta sunt ignoro, quoniam antea iam singillatim, quaenam argumenta primo loco ponenda sint, quae postea, quaenam sint firmissima, quae debiliora, per omnia causarum genera, per omnes constitutiones exposuerit diligentissime. Quapropter verisimillimum duco haec praecepta e disciplina quadam esse profecta, quae tantum generaliter, quomodo disponendum esset,

59) Non recte mihi Kayser verba supra interposita: *item ex institutione artis* . . . . . Cornificio abiudicasse videtur, nam hoc additamentum ipsius esse existimo, qui fontem suum corrigere voluerit, cum ipsius argumentandi rationem desideraret.



quali ratione argumenta ordinanda essent, breviter, ut vidimus, adumbraret, de singulis generibus nihil praeciperet. Atque iam eo pervenimus, ut nomen inventionis ab libris de inventione et Cornifici primo et altero removeamus et circumspiciamus, quid praeceptis, quae his libris tradita sunt, faciamus. — Atque primum quidem tota constitutionum doctrina seiungenda est a partibus sex orationis, quod Cicero quodammodo instituit facere, cum generalia de constitutionibus praecepta praemitteret; sed is postea singula argumenta ad confirmationem rettulit, quae tamen male cum confirmatione coniuncta esse apparet ex initio coniecturalis constitutionis apud Cornificium II, 2, 3: *in causa coniecturali narratio accusatoris* .... (sequuntur praecepta de narratione in coniecturali constitutione) ...., quem locum iam supra attigimus collata simillima praeceptione ex *partitionibus oratoriis* (122); cum enim hic de narratione dicatur, quae iam supra absoluta est — nunc enim confirmatio tractatur — luculentissime evincitur has duas praeceptiones falso uni eidemque generi, id est partibus orationis subiectas esse. Ergo tota constitutionum doctrina confirmationi inculcata est, cum revera tantum expolitio argumentorum, quae ἐπιχειρήματα vocat Cornificius, ad eam pertineat. Itaque ex duabus disciplinis, constitutionum doctrina et orationis partium praeceptis simplex continuaque series praecipiendi facta est, quod quin auctor ille latinus fecerit, haud improbabile duco. Cicero autem, ut saepe, ab illo doctore deflexit vetustioremque ordinem secutus generalia quidem de constitutionibus praecepta separavit, qua re haud scio an totam operis sui compositionem infregerit. Sed quo consilio aut quem auctorem secutus hoc commiserit, quaeritur, nam aegre sane ferimus, quod apud eum singula constitutionum praecepta a definitione et generali explicatione earum tam longo intervallo separantur interiectis sex orationum partibus. Quod apud Cornificium vitatum est, tamen etiam apud illum mirum

est, cur omnino expositio singulorum a definitionibus disiuncta sit, praesertim cum exempla magis argumentationem illustrarent, si cum ea coniuncta posita essent. Id apud Ciceronem melius institutum est, nam exempla singulis demum praeceptis praemissa sunt. — Mihi vero tota haec separatio certa quadam de causa exstare videtur.

Tenemus enim dispositionem artis cuiusdam rhetoricae, in qua eadem conspicitur ratio seiungendi, ibidemque etiam orationis partium praecepta praeter constitutionum doctrinam, sed separatim exstitisse videbimus, eademque nos ex difficultatibus de inventione et dispositione quomodo nos expediamus viam monstrabit. Tradit enim Quintilianus III, 3, 9 Hermagoram *iudicium, partitionem, ordinem, quaeque sunt elocutionis subiecisse oeconomiae.* Quae partes quomodo intellegendae sint videamus. *οἰκονομίαν* non unicum oratoris officium fuisse clarissimum est. Desideramus officium aliquod, quod respondeat *οἰκονομίᾳ* vel, ut ita dicam, eam antecedat. Quicunque enim *οἰκονομεῖ*, materiam habere debet, quam *οἰκονομεῖ*, atque fontem, unde *οἰκονομεῖ.* Qua re non dubito, quin materiae comparationem primum oratoris officium voluerit esse Hermagoras. Cui officio si qua praecepta subiungere volebat, ipsos illos fontes indicare debebat, unde illa materia inveniretur; quapropter *εὕρεσιν* vel ei similem virtutem desideramus[60]). Priore igitur parte vel capite vel libro Hermagoreae artis *εὕρεσις*, quae locos (*τόπους*) inveniendae argumentationis continebat, erat exposita; iam vides, quam bene haec ad ea, quae supra de inventione cognovimus, quadrent, quam bene quadret vocabulum *οἰκονομία* ad istam rudem et horridam silvam locorum, quales in topicis scriptores dialectici (Ciceronis *topica*) et rhetores (Aristoteles) tradant. Quid igitur? Quoniam fuisse in Hermagorae arte constitutionum (*στάσεων*) doctrinam scimus, utrum ad priorem illam *τοπικήν* vel *εὕρεσιν* an ad posteriorem *οἰκονομίαν* referendam

60) Eandem desideraverunt Striller l. l. p. 39 et Volkmann p. 29.

esse eam putabimus? Nempe ad *οἰκονομίαν*. Ergo inter illas quattuor *οἰκονομίας* partes *στάσεων* doctrina fuisse debet. *Elocutionem* novimus, antecedit *ordo*, qui qualem vim habeat ex Quintiliano discimus lib. IV prooem. 6, ubi ita appellantur sex partes orationis, quod optime cum Cicerone convenit, qui, cum de partibus orationis loquatur, vocabulo *ordinari* utitur (I, 14, 19 p. 19, 14 Weidner), item ab Aristotele hae partes *τάξις* vocantur in tertio libro (1414a 30). Nimirum hoc nomen Hermagoras ex Aristotele sumpsit. — Restant *iudicium* et *partitio*, restat constitutionum doctrina. Iudicium graece *κρίσις* est, potestne *κρίσει* subiungi constitutionum doctrina? *κρίνεταί τι*; sine dubio, iudicium faciendum est, ad quamnam constitutionem causa referenda sit, quae sit infirmatio, iudicatio, quaestio (quas res Hermagoram praecepisse ex Quintiliano III, 11, 1 scimus), sed non potuit hoc vocabulo singularum constitutionum explicationem — quam quomodo appellemus semper incerti quaerimus — quam invenimus in Ciceronis et Cornifici libro altero, qualemque habuisse Hermagoram Cicero testis est in Bruto (263 et 271), non potuit eam vocabulo *κρίσις* significare, sed id tantummodo, quod supra indicavimus. Restat igitur ad ista sola *partitio*, quae notio, quamquam primo obtutu parum probabilis videtur, tamen non tam mira erit reputantibus, ex graeca lingua esse haec nomina translata eodemque loco queri Quintilianum *οἰκονομίαν* non posse latine dici. Qua re graecum hic vocabulum latere existimo, quod magis ad rem ipsam accedat quam latinum. Volkmannus *διαίρεσιν* ex Hermogene in auxilium vocavit, sed illa *διαίρεσις* longe distat ab his argumentorum certis ordinibus. Mihi videtur fuisse tale quid: *ἡ κατὰ μέρος ἐξεργασία* [61]), quod qua-

61) Striller p. 39 comparat ad partitionem Dionysii Halic. locum de Isocr. iud. c. 4, ubi κρίσις τάξις μερισμοί subiungantur οἰκονομίᾳ, sed Dionysius nomina tantum accepisse, res ipsas parum intellexisse videtur, unde fit, ut modo haec modo illa doctrina apud eum inveniatur.

draret in singularum constitutionum argumenta, et Hermagoras, ut homo philosophorum sermone imbutus, tales circumscriptiones adamavit, ut *quae sunt elocutionis* = *τὰ περὶ φράσιν*, *κατὰ συμβεβηκός*, *de constitutione qualitatis* (Quintil. III, 6, 56), *κατὰ ῥητὸν καὶ ὑπεξαίρεσιν* (= III, 6, 61) *κατ' ἀντίληψιν* (= VII, 4, 4).

Apud Hermagoram igitur constitutionum definitio, id est *κρίσις*, seiuncta erat ab illa singulorum explicatione argumentorum certo quodam consilio. Quodsi apud Cornificium et multo apertius apud Ciceronem sine causa [62]) — nam confirmationi utrumque subiunctum erat — alterum ab altero distractum videmus, huius rei causam nostro iure ad Hermagoram referemus. Praeterea cognovimus apud illum *τάξιν*, id est partes orationis, separatim exstare post totam constitutionum doctrinam, quas duas doctrinas apud Cornificium et Ciceronem commixtas et male conglutinatas iudicavimus. Ergo etiam hac ex parte cum Hermagorea doctrina coniuncti sunt. Atque cum ex tribus potissimum partibus vel, ut ita dicam, elementis tota praeceptorum materia in Cornifici et Ciceronis libris primo et altero constet — sublato videlicet inventionis nomine —: constitutionum generali expositione, constitutionum speciali argumentatione, orationis partibus, haec ipsa invenimus apud Hermagoram *κρίσιν*, *partitionem*, *τάξιν*, quibus commune nomen *οἰκονομία* inditum est. *εὕρεσις* vero, quae est opposita *οἰκονομίᾳ*, nusquam in Ciceronis et Cornifici libris invenitur (nisi quod additamenta quaedam apud Ciceronem excepimus); vel non tam apud hos, quam apud communem

---

62) Ipse quodammodo sensit difficultatem sive Cornificius sive doctor eius, cum dixit I, 16, 25: *quae constitutiones et quae constitutionum partes sint, videor ostendisse. Nunc quomodo eas et qua via tractari conveniat demonstrandum est, si prius* (sensit enim iam addi posse illas vias, id est singula argumenta, sed quae sequebantur, ad κρίσιν et ipsa pertinent) *aperuerimus quid oporteat ab ambobus in causa destinari, quo ratio omnis totius orationis conferatur.*

eorum auctorem, nam ad eum etiam dispositionem illam iam referre licebit, cum similiter in utroque vitiosam cognoverimus. Illi autem, cum Hermagoream cum aliis disciplinis coniungere studeret, ne *οἰκονομία* quidem placuit, sed rebus servatis nomina mutavit. Arridebat enim ei alia rhetoricorum praeceptorum distributio: inventio, dispositio, elocutio, memoria, pronuntiatio, ad cuius normam artem suam instituendam putavit. Quapropter ea, quae apud Hermagoram sub *κρίσει*, *partitione*, *τάξει* exstabant, inventionem vocavit, topica enim ut difficiliora vel inutiliora non curavit, elocutionem ab illis seiunxit.

Aliud vitium in utriusque operis compositione latet, vel non tam latet quam patet, nam vestigia eius apertissima sunt, dico confusionem disciplinae constitutionum Hermagoreae cum tripertita illa rhetorices materia distributione, quae ab Aristotele, ut ita dicam, inventa et sancita erat, in *γένος δικανικόν*, *γένος συμβουλευτικόν*, *γένος ἐπιδεικτικόν*. Hermagoras vetusta hac et ex veteris eloquentiae natura et indole nata ratione neglecta auctor et conditor fuit novae doctrinae. Nam cum omnia, quae oratores eloqui vellent, nisi quaestione instituta effici negaret, quattuor omnino modis quaerendum esse statuit:

1) Aut factum quaeritur — tum fit constitutio coniecturalis.
2) Aut nomen facti quaeritur — tum fit constitutio definitiva.
3) Aut qualitas facti quaeritur — tum fit constitutio qualitatis.
4) Aut relatio facti quaeritur — tum fit constitutio translativa.

In qualitatis quaestione quattuor fecit genera:

{ a) Primum iuridicialem qualitatem (causae publicae).
{ b) Deinde negotialem qualitatem (causae privatae).
c) De adpetendis et fugiendis qualitatem (suasoriae).
d) De persona qualitatem (laudationes).

(Cf. Quintilian. III, 6, 56.) Quaestiones igitur, quae sunt de qualitate, etiam deliberativum et demonstrativum genus comprehendunt. Quam rationem cum multi aut non intellegerent aut non probarent, impugnavisse multos consentaneum est. Aeque consentaneum fuit hanc novam doctrinam cum illa vetere coniungi et confundi, quod fecit e Graecis exempli causa Athenaeus quidam, qui unam constitutionem vocavit *παρορμητικήν*, qua significabat sine dubio causas deliberativas (Quintil. III, 6, 47), is aemulus atque par Hermagorae fuisse traditur (Quintil. III, 1, 16); ex Romanis, quantum scimus, Cornificius et Cicero, apud quos e qualitatis constitutione sublatae sunt duae partes *de adpetendis et fugiendis* et *de persona* (apud Cornificium etiam negotialis deest), et addita sunt separata praecepta de demonstrativo et deliberativo genere (Cic. I, 14, — Cornif. I, 24; Cic. II fine — Cornif. III initio), quod neque recte neque consulte factum esse apertum est, nam aut una aut altera ratio distribuendi adhibenda fuit, praesertim cum non omnes revera deliberativae et demonstrativae orationes comprehendantur quaestionibus qualitatis. Itaque tota dispositio etiam ex hac parte apud utrumque turbata et confusa est; nam in ipso initio operis Cornifici postquam dictum est nimis abrupte, tria genera esse causarum: deliberativum, demonstrativum, iudiciale, nusquam audimus, unde incipiat iudiciale, de quo primum loqui velit, et per exordii, narrationis, divisionis praeceptionem non in iudiciali genere versari nobis videmur, sed in communi de tribus generibus disciplina. Cum tamen postea in tertio libro exordiendi ratio et narrandi etiam separatim in deliberativas et demonstrativas causas praecipiatur, nonne oportuit — novimus enim hominis diligentiam — eum praemittere *se nunc de iudiciali primum dicere velle* vel *quamquam praecepta illa de exordio* etc. *communiter praecipi possent, tamen iudiciali generi ea se adiunxisse* vel huiusmodi aliquid praefari? Nunc vero nimis inexspectata

deliberativum et demonstrativum genus adduntur. Porro desideramus in tripertita materia etiam separata praecepta de elocutione et dispositione in deliberativis et demonstrativis causis, quae tradidit Aristoteles (rhetor. III, 1413 b) aut, si communia esse voluit, hoc, ut supra dixi, indicare debuit, sicut fecit Anaximenes p. 1427 b, 30 Bekk. (p. 25 22 ed. Sp.). — Multo magis autem huius vitii vestigia, ut item prioris, apud Ciceronem aperiuntur. Nam quamquam I, 9 dixit se coniuncte agere velle de materia et de partibus (nam materiam vocat tria illa genera demonstrativum deliberativum iudiciale), tamen, quod genus primum tractare velit, celare videtur. Primum autem de constitutionum doctrina in universum loquitur, quae num ad iudiciale solum genus referendae sint, non dicit. Immo contrarium audimus I, 10 in definitione constitutionis: *omnis res, quae habet in se positam in dictione ac disceptatione aliquam controversiam, aut facti aut nominis aut generis aut actionis continet quaestionem.* Qua definitione omnes controversiae — etiam causae deliberativae — comprehenduntur, et est sine dubio Hermagorea haec doctrina, quam Ciceronem a doctore latino recedentem amplecti supra demonstravimus. Nihilominus deliberativas et demonstrativas causas a constitutionibus dirimit, ita ut neque facti neque nominis neque generis neque actionis controversia insit. Mutata ergo doctrina definitionem mutare neglexit. Porro, quod iam supra commemoravimus, ea genera constitutionis, quae *de expetendis et fugiendis* et *de persona* Hermagoras vocavit, quamquam Cicero plane eadem esse existimat quam genus deliberativum et demonstrativum, tamen non prorsus eandem rem significant. Neque enim semper oratio deliberativa (συμβουλευτικὸς λόγος) simul esse debet quaestio, num quid utile sit aut adpetendum sit an non, certe non semper ad hanc quaestionem revocatur, etsi res eadem est. Quod cum non intellegeretur, factum est, ut apud Ciceronem I, 11 huiusmodi causae non deliberativo generi tri-

buantur, sed constitutioni coniecturali: *bonone animo sint erga populum Romanum Fregellani, si* . . . . etc. Revera enim haec ad deliberativum genus referenda sunt, Hermagoras autem potuit coniecturae tribuere in arida sua et artificiosis finibus circumscripta doctrina, Cicero certe, si totum deliberativum genus Aristotelico sensu separaverat, ad hoc referre debuit. Atque in libro altero (§ 12) contendit: *omnis et demonstrativa et deliberativa et iuridicialis causa necesse est in aliquo eorum, quae ante exposita sunt, constitutionis genere uno pluribusve versetur*, quod pugnat cum ipsius definitione generis deliberativi II, 156, ubi dicit in deliberativo genere honestum et utile tantum quaeri, in demonstrativo solum honestum. Quin etiam (II, 156) pollicetur se etiam in deliberativo et demonstrativo genere in unamquamque constitutionem exempla daturum esse, idem homo, qui antea praefracte et confidenter negaverit non esse constitutiones deliberativum et demonstrativum genus (I, 13). Ita omnia corruunt, neque iam talia eum ab alieno auctore transsumpsisse puto, sed eo adducor, ut suo Marte illa, quae de generibus demonstrativo et deliberativo promittit, eum addidisse credam, etsi similiter, sed non tam graviter peccavit doctor latinus, quem Cornificius secutus est. —

Sed non solum confusionem erroresque evicimus, verum etiam certi aliquid ex hac quaestione redundat. Tria enim quasi genera artium rhetoricarum deteximus in Cornifici et Ciceronis libris, tres disciplinas. Prima est Aristotelica, qui omnem rhetoricam praeceptionem secundum *γένος δικανικόν, συμβουλευτικόν, ἐπιδεικτικόν* distribuit et ad hanc normam libros suos rhetoricos composuit. Similis ratio est illius libri, quem Spengelius Anaximeni tribuit. Post Aristotelem sollemnia facta sunt oratoris officia (a Stoicis, ut videtur) et usque ad quinque propagata: *εὕρεσις, διάθεσις, λέξις, ὑπόκρισις, μνήμη*, quorum quattuor Stoici professi sunt, nam *μνήμη* male addita est. Atque

priorum duorum nomina ex Platone repetiverunt, *ὑπόκρισιν* et *λέξιν* a Theophrasto, qui de utraque peculiarem libellum conscripsit. Verum non singulares solum de unoquoque horum officiorum libros exstitisse arbitror, sed etiam artes, quae quattuor vel quinque illas comprehenderent, e certa disciplina rhetorica profectas. Cuius generis exemplum est brevissima illa Longini *τέχνη ῥητορική* (ed. Spengel in rhetor. graec. vol. I p. 300), quae distributa est secundum *εὕρεσιν, οἰκονομίαν, λέξιν, ὑπόκρισιν, μνήμην*; quam ad exemplum antiquae cuiusdam artis institutam esse puto, neque mihi dubium est, quin huiusmodi artes etiam altero vel primo a. Chr. saeculo exstiterint, quarum ad exemplum Cornifici et Ciceronis auctor suam componere conatus sit.

Interea autem Hermagorae innotuerat ars, qui et ipse secundum officia eam partitus esse videtur, ut demonstravimus, sed alia: inventionem et *οἰκονομίαν*. Cuius praecepta cum valde placerent, dispositio non placeret, praeceptorum quidem materia, cum ad unamquamque causam apta videretur, accipiebatur a plerisque, sed distributio alia subiuncta est, scilicet illa quinquepartita. Neque autem tota doctrina Hermagorea placebat, praesertim cum deliberativum et demonstrativum genus neglecta viderentur. Itaque ista etiam assumpserunt et cum constitutionibus commiscuerunt, ut denique congeries fieret ex trium disciplinarum praeceptis profecta, trium saeculorum inventis referta, qualis exstat in Cornifici et Ciceronis libris, de quibus haec habui, quae exponerem.

Addo locorum conspectum, quibus a tradita aut vulgata scriptura recessi.

Cornif. I, 6, 9, dissertationis meae pagina 21,
scripsi (cum Halmio): *hominem, non rem.*
„ ibid. paulo infra pag. 21, adn. 11,
delevi *aut de eadem aut de minore aut de maiore.*
„ I, 6, 10, pag. 23, adn. 13,
scripsi *inrisione stultitiae.*
„ I, 7, 11, pag. 26, adn. 14,
oratione ex Cicerone reposui.
„ I, 9, 16, pag. 31, adn. 17,
confingendum scripsi.
„ II, 4, 6, pag. 43 adn. 21,
Vratislav. scriptur *illas alias rationes* recepi.
Cicero I, 16, 23, pag. 12,
in *nam et cum* agnosco diversas scripturas *nam cum — et cum.*
„ I, 19, 28, pag. 31, adn. 16,
delevi verba *hoc quoque in genere.*
„ II, 12, 41, pag. 51,
conieci ex Quintiliano *latitatio.*

VITA.

Natus sum Georgius Fridericus Thiele in oppido Pomeraniae, cui nomen est Ueckermünde, a. d. XI. Kal. Febr. a. h. s. LXVI patre Guilelmo, matre Emma e gente Lindenberg, quorum adhuc superstitum fruor amore. Primis litterarum elementis in patriae meae schola publica, quam pater regebat et adhuc regit, imbutus sum; ipse pater lingua latina et graeca me instituit, dum vere a. LXXIX educandum me tradidit Paedagogio Putbusiensi, cui tum Sorofius, inde ab a. LXXXII Spreer praeerat vir maxime mihi venerandus. Ubi in tertiam classem receptus et post quinque annos et sex menses maturitatis testimonio instructus, ab amoenissima illa insula in hanc almam sedem litterarum transvectus sum atque ab autumno a. LXXXIV per quattuor semestria philologicis studiis operam dare coepi. Tum Berolinum me contuli ibique per duo semestria imprimis in rebus archaeologicis versatus sum. Gryphiswaldiam inde reversus iterum philologiae studui per tria semestria. Berolini scholis interfui V. V. D. D.: Fabricius, Köhler, Robert, Vahlen, exercitationibus Dielsii Vahleni philologicis, Furtwängleri Roberti archaeologicis, Köhleri historicis; Gryphiswaldiae docuerunt me V. V. D. D.: Kaibel, Kiessling, Maass, Preuner, Schuppe, Susemihl, Ulmann, Zimmer, ad exercitationes admiserunt Susemihl Aristotelicas, Schuppe philosophicas, Preuner archaeologicas, Zimmer sanscriticas. Kaibelii, Kiesslingii, Maassii benigni-

tate mihi licuit, ut proseminario philologico interessem per duo semestria, seminarii philologici sodalis essem ordinarius per quinque semestria, per duo senior.

Quibus viris omnibus gratias habeo quam maximas, imprimis vero Kaibelio, Kiesslingio, Maassio, Roberto, qui insigni benevolentia me sibi devinxerunt, ut per totam eos vitam grato et pio animo colere non destiturus sim.

Praeterea hoc loco gratias agere liceat avunculo carissimo, Ludovico Lindenbergio, viro strenuo, qui cum semper eximia erga me fuerit benignitate, tum ad hos honores impetrandos liberalissime me adiuvit.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Pindarus LXVI annos degisse traditur ab Eustathio et Thoma Magistro (Westerm. biogr.); quem numerum chronographi veteres ita effecerunt, ut ad spatium inter carminis Pythici X (ol. 70, 3) et carminis Olympici IV (ol. 82, 1) tempora viginti adolescentiae annos adderent.

II. Ovid. Metam. VIII in altera recensione post versum 596 (ed. Korn) scribendum est *cui quoniam* (*quondam* cod.) *tellus clausa est feritate paterna*.

III. Hermagoras (Quintil. inst. V, 9, 12) signi non necessarii exemplum *non esse virginem Atalanten, quia cum iuvenibus per silvas vagetur* ex Meleagri Euripidei verborum certamine inter Althaeam et Meleagrum sumpsit (cf. frgm. 518, 519, 521, 522, 524 Nauck frgm. trag.[2]).

IV. In Cleocharis fragmento Rutil. Lup. I, 10 (Halm rhett. lat. min. p. 7) pro tradito *spem exploratam* conicio *spem insperatam*.

V. Ad Veneris statuam Meliam restituendam non a corporis inclinatione exeundum est, qua artifex id efficere voluit, ut simul cum corporis nuda pulchritudine vestem relapsam et libere circum latera fluentem ostenderet.

VI. Quintil. inst. VIII prooem. 17, ubi Asiani et aridi discernuntur, scribendum est *illis iudicium*

in eloquentia et modus, his vires defuerunt (*his ..... illis* codd.).

VII. Polyb. lib. VI caput undecimum ad decimum (ed. Hultsch) uno tenore adiungendum est, ut legatur *κάλλιστον δὲ σύστημα τῶν καθ' ἡμᾶς πολιτειῶν, ὅτι* (scil. *τὸ σύστημα*) *ἀπὸ τῆς Ξέρξου διαβάσεως κτλ.*

VIII. Acheloi cum Hercule pugnantis figuram centauricae similem, quae in vasis fictilibus sexti saeculi invenitur (Arch. Ztg. 1862 Taf. 167, 1885 Taf. 6, Gazette Archaeol. 1875 pl. 20), non ab ipsis vasorum pictoribus inventam esse, sed in magnae artis operibus usque ad posteriora saecula propagatam esse apparet ex Cephalionis frgm. 8 (Müller fr. hist. III, p. 631).

IX. Pausanias V, 4, 1 verbis *λέγεται δὲ καὶ ἄλλο ἐπὶ τῷ Ὀξύλῳ τοιόνδε* non solum transitum facit, sed fontem mutat, nam antea solus, nunc ut Aetolorum exercitus dux Oxylus adesse fingitur.

X. Theognideae syllogae versus 19—26 (ed. Ziegler) ab ipso Theognide ut epilogus carminibus adiuncti fuerunt.

XI. Cornificius I, 8, 13 et Cic. de inv. I, 19, 27 descriptionem narrationis eius, quae in personis versatur, pertinere contendo ad genus narrationum graecarum adhuc ignotum Petronii saturis non dissimilium.

Frommannsche Buchdruckerei (Hermann Pohle) in Jena.



